

CATECHISMUS

DE TONSURA

et obligationibus status Ecclesiastici ad usum juniorum Ecclesiasticorum.

PRECES

MATUTINÆ, VESPERTINÆ ET ALIA PIETATIS EXERCITIA AD USUM ALUMNORUM SEMINARIORUMI

EXERCITIA SPIRITUALIA

OCTO DIERUM

Ad usum Sacerdotum et aspirantium ad Ordines sacros, simul edita jussu Eminentissimi ac Reverendissimi Domini JOANNIS HENRICI, S. R. E. Cardinalis à Franckenbergh, Archiepiscopi Mechliniensis, Primatis Belgii, etc. etc. etc.



SYLVAE-DUCIS,
Typis P. STOKVIS & FILIUS. MDCCCXCIV.

CUM APPROBATIONE.

REIMPRIMATUR.

—

Buscoduci 14 Octobris 1891.

J. J. VERSTERREN, Rector.
ad hoc delegatus.

CATECHISMUS

DE

TONSURA

ET OBLIGATIONIBUS STATUS ECCLESIASTICI.

CAPUT I.

De essentia Tonsurae.

P. 1. *Quid est Tonsura?*

R. Est Caeremonia Sacra, per quam Christianus se Deo consecrat, ut reliquio vitae suae tempore ei in Statu Ecclesiastico deserviat.

P. 2. *Quare Tonsuram vocas* Caeremoniam Sacram?

R. Quia est actus Religionis externus, quo Deus honoratur.

P. 3. *An Tonsura est ordo?*

R. Non, sed praeparatio ad ordines.

P. 4. *An Tonsura est Sacramentum?*

R. Non; quia nec gratiam ex se producit, nec a Christo Domino est instituta, sed ab Ecclesia.

P. 5. *Quandonam Ecclesia Tonsuram instituit?*

R. Creduntur Apostoli esse authores hujus piae Caeremoniae, secundum regulam S. Aug. lib. 4. contra Donat. *Quod universa tenet Ecclesia, nec*

in Conciliis, nec alibi institutum esse reperitur; sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum esse certissime creditur.

P. 6. *Quare dicitur, qnod* Christianus se Deo consecret, *quando Tonsuram suscipit?*

R. Quia, dum Statum Ecclesiasticum amplectitur, a Laicis se separat, occupationibus saecularibus et mundanis renuntiat; imo quodammodo non est amplius sui juris, sed Dei et Ecclesiae.

P. 7. *Debetne qui Tonsuram suscipit habere intentionem se Deo consecrandi pro reliquo vitae suae tempore, et ad ordines etiam sacros se praeparandi?*

R. Affirmative; quia Tonsuram suscipere non potest, nisi fundate speret se vocatum a Deo; hanc autem vocationem sequi tenetur, neque illi renuntiare potest, sine infidelitate erga optimum ct maximum Magistrum.

P. 8. *Peccaretne ergo Tonsuratus ad saecutum redeundo?*

R. Si ad saeculum redeat, quia consulto Directore prudenti et perito, cognoscit Statum Ecclesiasticum sibi non convenire, non peccat; sed si hoc faciat motu proprio, sine consilio, vel ex amore libertatis, aut ut saeculi bonis, voluptatibus et comodis frui possit, Deum offendit.

P. 9. *Quare dicitur, quod Tonsuratus Deo* deservire *debeat* in Statu Ecclesiastico?

R. Ut videatur differentia inter Tonsuram et Professionem Religiosam. Religiosus consecratus est Deo, ut illi serviat in solitudine et secessu a saeculo; Tonruratus vero ut illi serviat in Officiis Clericalibus seu muniis Ecclesiasticis.

CAPUT II.

De variis nominibus quae attribuuntur illis, qui Tonsuram susceperunt.

P. 1, *Quae sunt praecipua nomina, quae attribuuntur illis, qui Tonsuram susceperunt?*

R. Vocantur Tonsurati, Ecclesiastici, Clerici.

P. 2. *Quare vocantur Tonsurati?*

R. Quia Episcopus eorum crines abscindit, seu quodammodo tondit, et deinceps crines succisos et partem verticis in modum cornulae *tonsam* gestare debent.

P. 3. *Quare vocantur* Ecclesiastici?

R. Quia destinati sunt ad serviendum Deo in muniis Ecclesiasticis, seu ministri sunt Ecclesiae; sicuti milites vocantur, qui destinati sunt ad serviendum Regi in militia seu ministerio armorum.

P. 4. *Quare vocantur* Clerici?

R. Id nos docet S. Hieron. Ep. ad. Nep. *Propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est.*

P. 5. *Quomodo Deus est sors seu pars Clerici?*

R. Quia Clericus solemniter declarat ad pedem Altaris in manibus Episcopi, quod Deum in portionem, seu partem et haereditatem suam accipiat, dum dicit: *Dominus pars haereditatis meae etc.*

P. 6. *Estne magnum bonum pro Clerico, habere Deum pro parte seu haereditate sua?*

R Affirmative. 1°. Quia habet pro haereditate illum, qui dicitur et qui revera est summum

bonum, qui omnia bona in se continet, et omnium bonorum fons est et origo. 2o. Quia haereditas illa non potest ab ipso auferri; et 3o. Quia haec solo haereditas est, quae cor hominis vere satiare potest.

P. 7. *Ad quid tenetur Clericus vi sui nominis?*

R. Ad sancte vivendum, tamquam qui sit pars Domini, et qui Dominum solum pro parte seu haereditate sua elegerit. *Talem se exhibere debet*, inquit S. Hieronimus, *ut et possideat Dominum et possideatur a Domino.* Ep. ad Nep.

CAPUT III.

De dispositionibus ad suscipiendum Tonsuram requisitis.

P. 1. *Quomodo dividuntur Dispositiones ad Tonsuram requisitae?*

R. Aliae sunt remotae, aliae proximae.

P. 2. *Quot sunt Dispositiones remotae?*

R. Quinque. Prima, aetas sutis matura ad eligendum vitae statum. Secunda, innocentia baptismalis aut conservata, aut per seriam poenitentiam recuperata; dicente S. Bernardo lib. 1 de Consid. „In monasteriis omnes recipimus; „in Clero autem Viros probatos eligi oportet, „non probandos."

Tertia est, quod debeant esse confirmati.

Quarta, quod, debeant esse exempti ab omni Censura et Irregularitate. *A. Censura*, id est, ab Excommunicatione et Interdicto; *ab Irregularitate*,

id est, ab omni impedimento Canonico, quod ab ordinum susceptione, aut eorum executione illos prohiberet.

P. 3. *Quomodo dividuntur Irregularitates?*

R. Aliae oriuntur ex defectu, aliae ex crimine.

P. 4. *Quae sunt Irregularitates, qua proveniunt ex defectu?*

R. Magis ordinariae sunt, quae veniunt 1°. ex defectu natalium, ut illegitimitas. 2°. Ex defectu corporis, scilicet dum notabiliter deformatum est, aut ineptum. 3°. Ex defectu animae, ut amentia, semiamentia, hebetudo mentis, ignorantia etc. 4°. Defectus mansuetudinis, v. g. si quis fuerit miles etc. 5°. Defectus aetatis si ad usum rationis quis necdum pervenerit. 6°. Defectus Sacramenti, ut si bis matrimonium contraxerit, aut contraxerit cum vidua.

P. 5. *Quae sunt Irregularitates quae proveniunt ex crimine?*

R. Praecipuae sunt: Prima, publica professio falsae religionis; secunda, vita scandalosa; tertia, homicidium aut mutilatio; quarta, iteratio Baptismi activa vel passiva.

P. 6. *Quae est quinta dispositio remota ad Tonsuram?*

R. Quinta et maxime essentialis dispositio, est vocatio Dei, de qua Capite sequenti, ne scilicet seipsum ingerat Christianus in Clericatum, neque ad sollicitationem Parentum Statum Ecclesiasticum suscipiat.

P. 7. *Quot sunt Dispositones proximae ad suscipiendum Tonsuram?*

R. Tres praecipuae sunt hae: Prima, Status

gratiae, et ideo semper praemittenda est Confessio, Secunda est secessus, seu Exerritia spiritualia aliquorum dierum, ut gratiae divinae obtineantur ad cognoscendum vocationem, ad exuendum veterem hominem et induendum novum etc. Tertia est instructio circa Caeremonias Tonsurae, et circa ea quae dicenda et facienda sunt, dum illa suscipiuntur.

CAPUT IV.

De Vocâtione et ejus signis.

P. 1. *Quid est Vacatio?*

R. Decretum divinae Providentioe, quo ab aeterno sibi certum personarum numerum elegit, et gratias praeparavit, ut ei in ministerio Ecclesiastico dignè deservaiant.

P. 2. *Quomodo probas ex Scrtptura Sacra hanc Vacaiionem esse necessariam, signanter ad Sacerdotium?*

R. Hoc probant Facta Christi et Apostolorum, clarissime hoc docet Ap. ad Hebr. 1°. dum dicit cap. 5 v. 1: *omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum.* Ergo omnis Pontifex, sub quo Sacerdotes et inferiores Ministri, cum proportione intelliguntur, debent assumi seu eligi; non vero seipsos intrudere: a quo autem assumi debeant, docet idem Apostolus eodem cap. v. 4. *Nemo assumit sihi honorem, sed qui vacatur a Deo tamquam Aaron.*

P. 3. *Quomodo idem probas ex SS. Patribus?*

R. Ex innumeris textibus. Sufficiant hi. *Ita est aliquis sacrilegae temeritatis ac perditae mentis, ut putet sine Dei judicio fieri Sacerdotem?* S. Cypr. Epist. 55. ad Corn. *Spoute se ingerere, absurdum ac turpe est.* S. Cyrill. de Adorat, in Spiritu lib. II.

Quid istud temeritatis est? Exclamat S. Bernard. *imo quid insaniae? .... Ubi mortis memoria? Sponsa nec cubiculum, nec cellam ingredi, nisi rege introducente, praesumit; tu irreverenter irruis, uec vocatus nec introductus.* Declam. cap 5.

P. 4. *Quomode idem probas a ratione?*

R. Sicuti illicite ageret qui ministerium regni occnparet a rege non vocatus, ita qui in ministerium et legationem Dei se introduceret sine vocatione; deinde variis gratiis et auxiliis indiget Ecclesiasticus, ut muniis suis deserviat, obligationibus suis satisfaciat, et conformiter ad sanctitatem status sui vivat; haec autem jure exspectare non potest, si non fuerit a Deo vocatus.

P. 5. *Suntne aliqua signa, e quibus potest cognosci aliquem non esse vocatum ad Statum Ecclesiasticum?*

R. Affirmative. Primo vita peccaminosa, pravae consuetudines etc. sine emendatione, aut emendationis efficaci desiderio.

2°. Si a parentibus aut amicis ad Statum Ecclesiasticum suscipiendum quis sit inductus.

3°. Malae artes, fraudes etc. adhibitae ad perveniendum ad Statum Ecclesiasticum aut Beneficium.

4°. Manifesta ineptitudo ex parte animae vel ex parte corporis.

5°. Malae intentiones, cum quibus Tonsura suscipitur, aut in statu Ecclesiastico vivitur.

P. 6. *Quae sunt malae istae intentiones?*

R. 1°. Si Intendatur vita commoda aut otiosa.

2°. Si intendatur lucrum temporale aut pinguior fortuna.

3°. Si intendantur honores aut dignitates.

4°. Si Tonsura tantum suscipiatur ad obtinendum Beneficium, aut ad illud conservandum in familia

P. 7. *Quomodo probas omnes illas intentiones esse malas?*

R. Quia malum est suscipere ministerium laboris, ex intentione otii et quietis: ministerium paupertatis, ex fine lucri temporalis et divitiarum: ministerium abjectionis et humilitatis, cum ambitione honoris et dignitatis: ministerium denique spiritus et gratiae, ex motivis carnis et sanguinis.

P. 8. *Suntne etiam aliqua signa, e quibus potest cognosci aliquem vocatum esse ad Clericatum?*

R. Affirmative. Alia sunt extraordinaria, alia ordinaria, et inter haec, alia magis, alia minus probantia veram Vocationem.

P. 9. *Qua sunt signa extraordinaria Vocationis?*

R. Illa, quae modo extraordinario vel etiam miraculoso a Deo dantur, ut columna ignea quae apparebat supra caput S Gregorii, dum fugiebat Sacerdotium.

P. 10. *An talia signa requiruntur ad Statum Ecclesiasticum?*

R. Non: talia expectare esset tentare Deum, signis ordinariis contenti esse debemus.

P. 11. *Quae sunt signa ordinaria Vocationis?*

R. Magis probantia sunt haec: Primum, Consilium Confessarii, seu Directoris conscientiae, periti, experti, prudentis, qui nullum in hoc negotio interresse habcat et cui candide aperuerit omnia cordis sui secreta, qui de statu Ecclesiastico deliberat.

Secundum est tanta congeries gratiarum, talentorum, et qualitatum ad munia Ecclesiastica requisitarum, ut quasi ex omnium coneensu ad Ministerium sacrum divinitus data videatur.

Tertium est intentio pura, qua quis per Tonsuram non intendat honores, divitias seu beneficia, luxum aut commodam vitam sibi acquirere, sed se totum Deo consecrare, ut ei reliquo vitae suae tempore fideliter serviat in Ministerio Ecclesiastico, ad majorem ejus gloriam, et ex eodem motivo suam proximique salutem indefesso zelo promoveat.

Quartum est inclinatio constans et firma, Superiorum voluntati submissa et ab omnisinistra intentione libera, erga Statum Ecclesiasticum: signanter, si etiam adsit amor Cantus sacri, Caeremoniarum Decorationis Altarium et Templorum, qui procedat ex puro zelo gloriae Dei et salutis proximi.

Quintum est tenera affectio erga Matrem Ecclesiam, ejus Solemnitates et Officia, juncta magnae aestimationi Status Ecclesiastici ob infinitam ejus excellentiam et desiderio vehementi, ut disciplina Ecclesiastica promoveatur et floreat.

His addi potest sanctus timor ad Ministerium sacrum accedendi propter Sanctitatem Status et pericula inseparabilia, junctus tamen firmae fiduciae in Dei bonitatem et misericordiam.

P. 12. *Quot sunt signa Vocationis minus probantia?*

R. Primum, bona indoles, a passionibus violentis exempta, docilis, et ad bonum inclinata.

Secundum, talenta animae et corporis, puta aptitudo ingenii. peritia cantus, etc.

Tertium, morum probitas.

Quartum, desiderium Statum Ecclesiasticum suscipiendi, quod tamen quo est vehementius, eo minus saepe vocationem probat.

P. 13. *Quare priora signa vocantur magis probantia?*

R. Quia fere tantum in illis reperiuntur qui vere vocati sunt; saltem si plura ex illis simul juncta accipias.

P. 14. *Quare posteriora vocantur minus probantia?*

R. Quia reperiuntur in multis Christianus, qui non sunt ad statum Ecclesiasticum vocati.

P. 15. *Quid praestare debet Christianus, qui de Tonsura suscipienda deliberat, ut Dei vocationem cognoscat?*

R. Haec quatuor: 1°. Debet cor suum ab omni peccato, prava inclinatione et sinistra intentione mundare, vitamque pie instituere *quia in malevolam animam non introibit Sapientia.* Sap. I.

2e. Debet assique ad Deum recurrere per orationem, dcens cum Davide: *notam fac mihi viam, in qua ambulem.* Psal. 142.

3°. Debet rigorose examinare seipsum, talenta animae et corporis, inclinationes et propensiones cordis, et praecipue motiva, quibus movetur ad Statum Ecclesiasticum.

4°. Debet statum animae suae candite aperire Viro perito, prudenti et experto, ejusque consilium cum indifferentia inquirere, et omne quod dixerit fideliter adimplere.

CAPUT V.

De caeremoniis Tonsurae et earum significationibus.

P. 1. *Quae sunt Caeremoniae, quae in collatione Tonsurae observantur?*

R. Tres sequentes sunt praecipuae: Prima quod Tonsurandus se praesentet Episcopo in habitu Ecclesiastico seu toga talari, gestans cereum in manu dextra et ferens superpelliceum super brachio sinistro.

Secunda, quod Episcopus abscindat ejus crines in forma crucis, ipso interim pronuntiante cum Episcopo haec verba: *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es qui restitues haereditatem meam mihi.*

Tertia est, quod Episcopus Tonsurandum induat superpelliceo sub his verbis: *induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.*

P. 2. *Quid significat* habitus Ecclesiasticus

et praecipue toga talaris, qua indutus est qui se praesentat ad Tonsuram?

R. Simplicitate sua significat spiritum paupertatis, in quo Ecclesiastici vivere debent. Toga talaris praeterea longitudine sua significat perseverantiam in bono, et colore nigro humilitatem cordis, item quod Clericus mundo sit mortuus, ut soli Deo vivat.

P. 3. *Quae nomina tribuuntur togae talari?*

R. Vocatur in Pontificali *habitus Religionis*; a Salviano *habitus S. Nominis*; a Sidonio Apolinari *habitus Religiosus*; ab aliis *sacra Vestis*; ex quibus patet, quanto in pretio illam habere debeant Clerici.

P. 4 *Quid significat Superpelliceum?*

R. Signifiat innocentiam vitae et castitatem Tonsurandi. Episcopus ipse Superpelliceo Tonsurandum induit, ad significandum, quod seipsum non ingerat in Statum Ecclesiasticum.

P. 5. *Quid significat* cereus, *quem in manu dextra tenet Tonsurandus?*

R. Quatenus albus est, significat puritatem; quatenus vero accensus, designat quod Clericus exterius bono exemplo debeat aliis praelucere, interius vero ardere igne charitatis.

P. 6. *Quid significat* abscissio crinium *in forma crucis?*

R. *Abscissio* significat, quod Clericus debeat a se resecare omnia superflua, et renuntiare omnibus mundi vanitatibus. *Forma crucis* vero significat, quod crucem amare, eam omnibus diebus vitae suae libenter portare, eique cum Cristo se affigere teneatur.

P. 7. *Quid significat* corona, *quam Clericus debet gestare in vertice?*

R. Significat tria. Quantum ad praeteritum significat coronam spineam Christi Domini.

Quantum ad praesens, victoriam de mundo et ejus asseclis, item quod passionum suarum rex sit.

Quantum ad futurum significat coronam gloriae, quae Clerico reddetur in coelis, si vitam suam sanctitati et perfectioni status sui conformet.

P 8. *Quid profitetur Tonsuram suscipiens dum pronuntiat:* Dominus pars *etc?*

R. Dicendo: *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei*, profitetur se renuntiare creaturis, ut adhaereat Creatori, quem elegit pro portione sua, et cujus portio esse cupit. Vide cap II. Pet. 4 et seqq. dicendo vero: *Tu es, qui restitues haereditatem meam mihi*, profitetur se omnem spem et fiduciam suam in Deum conjicere.

P. 9. *Quid debet facere Tonsuranaus tempore Caeremoniarum?*

R. Exterius servare magnam modestiam, et attendere ad ea, quae facienda sunt et dicenda; interius vero cor ad Deum elevare, auxilium B. M. V., Angeli Custodis, et Patroni sni invocare; sed praecipue se ex toto corde, hilariter et generose Deo consecrare, ut ei serviat in Ministerio Ecclesiae omnibus diebus vitae suae.

P. 10. *Collata Tonsura quid tenetur praestare Clericus?*

R. Debet in omni humilitate gratias agere Deo suo. Serias reflexiones facere circa monitiones ipsi ab Episcopo factas, Deum pro ipso orare, ac recitare septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis, versiculis et orationibus.

CAPUT VI.

De Praerogativis quas confert Tonsura, et obligationibus quas imponit.

P. 1. *Quae sunt praecipue Praerogativae quas confert Tonsura?*

R. Prima, quod nos transferat de statu Laicorum in statum Virorum Ecclesiasticorum, qui a S. Bernardo vocantur *Cleri Sacratissimus Ordo*, et a S. Leone *Electissim Christi Membra.*

Secunda est, quod nos capaces reddat ad Ordines et Beneficia.

Tertia est, quod nos participes faciat Privilegiorum et Immunitatum Ecclesiasticarum.

P. 2. *Quae sunt haec Privilegia?*

R. Sunt plura, de quibus tractatur in Theologia, sed praecipuum est, quod aggressores Clericorum incurront excommunicationem. *Si quis, suadente diabolo*, inquit famosus Canon, *in Clericum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat.* Causa 27 q. 4. C. *si quis.*

P. 3. *Quae sunt obligationes Tonsurati?*

R. Sunt praecipue quatuor: quarum prima, ut deferat signa exteriora status Clericalis.

P. 4. *Quot sunt talia signa?*

R. Signanter quatuor: toga talaris, Collare Ecclesiasticum, Crines succisi et Corona.

P. 5. *An Ecclesiasticus, qui non defert ista signa exteriora, peccat?*

R. Si sit Beneficiatus aut in Ordinibus sacris, affirmative: idque juxta benigniorem interpretationem Canonum Ecclesiae. Sed et reliqui

Tonsurati signa aliqua exteriora Clericatus deferre debent, ut a Laicis distinguantur, praecipue si in Siminariis habitent. Omnes vero modestiam et regularitatem in vestibus prae se ferre debent, nitidi et mundi, sed non mundani.

P. 6. *Quae est secunda obligatio Tonsurati?*

R. Cum Superpellico assistere Missae solemni et Vesperis diebus Dominicis et Festivis, ibique peragere munia, quae ipsis injunguntur.

P. 7. *Quae est tertia obligatio Tonsurati?*

R. Tempus bene impendere et studiis diligenter vacare.

P. 8. *Quae est ratio hujus obligationis?*

R. Haec, quod destinetur ut aliquando alios instruat; quod praestare non poterit, nisi ipse prius rite sit instructus; instructio atem acquiritur tempus bene impendendo et studiis diligenter vacando.

P. 9. *Quibus studiis debet vacare Ecclesiasticus?*

R. Si tantum Humanista aut Philosophus, humanioribus litteris aut philosophiae gnaviter incumbere tenetur ; si autem Theologus, debet omni cura studere Scripturae Sacrae et Theologiae, et cursu absoluto, etiam SS. Patribus, Historiae Ecclesiasticae ac Juri Canonico.

P. 10. *Quid Clericus debet observare ut studia sint proficua?*

R. 1° Debet observare ordinem : non discurrendo ab uno Tractatu ad alium; sed cuilibet horae assignando certam materiam, ut docetur in distributione temporis.

2o. Debet studere cum seria applicatione: devitans omnia vana et curiosa studia, quae ad scientiam, cui incumbit, non pertinent; et excludens ante studium omnes distractiones et inutiles occupationes.

3o. Debet studia sua sanctificare: ea cum Deo et propter Deum incipiendo, prosequendo et finiendo.

P. 11. *Quomodo Clericus sua studia cum Deo et propter Deum incipiet?*

R. Haec tria observet; 1o. Humiliter imploret gratiam Spiritus Sancti; 2o. detestetur sua peccata, quae causa sunt ignorantiae et tenebrarum intellectus; 3o. protestetur se tantum velle proficere in studiis ad Majorem Dei gloriam et suam proximique salutem.

P. 12. *Quomodo illa cum Deo prosequetur?*

R. Inter studendum saepe cor ad Deum elevando, et eum quodammodo quaerendo in materiis quibus studet.

P. 13. *Quomodo illa sancte et utiliter finiet?*

R. Mente breviter repetendo ea quibus studuit, et Deo gratias agendo pro luminibus acceptis.

P. 14. *Quae est quarta et praecipua obligatio Tonsurati?*

R. Obligatur omnino sancte et exemplariter vivere, magisque perfecte quam reliqui fideles; de illo pronuntiat S. Ambrosius in I. ad Timoth. cap. 3. *Mundior esse debet caeteris, quia actor Dei est.*

CAPUT VII.

De sanctitate Ecclesiasticorum.

P. 1. *Quomodo probatur quod Eclesiastici debeant esse sancti?*

R. Probatur ex eo, quod constituti sint in sublimi dignitate; adeo quidem sublimi dignitate; adeo quidem sublimi et eminenti, ut SS. Patres de illa non loquantur, nisi maxima cum admiratione et emphasi.

P. 2. *Quomodo inde infertur, quod speciali Sanctitate debeant esse praediti?*

R. Quia, ut ait S. Bern. lib. 2 de consideratione cap. 7. *monstruosa res est gradus summus et animus infimus, sedes prima et anima ima, ingens authoritas et nutans stabilitas.*

P. 3. *Allega rationem adhuc magis convincentem, cur Ecclesiastici in sanctitate et perfectione excellere debeant?*

R. Ratio quae desumitur ab eorum functionibus undequaque convincit.

P. 4. *Quae sunt istae functiones?*

R. Orare pro populo, eum edocere viam salutis aeternae, remittere peccata, administrare Sacramenta, cantare Dei laudes, eique offerre tremendum Missae sacrificium: quid sublimius excogitari potest? Nonne functiones illae prorsus divinae, Sanctitatem exigunt Angelicam?

P. 5. *An etiam ex Scriptura Sacra probatur obligatio Ecclesiasticorum sancte et exemplariter vivendi?*

R. Affirmative, et quidem tripliciter: 1o. ex veteri Testamento, ubi Deus pluribus in locis specialem Sanctitatem exigit a Sacerdotibus et Levitis, qui tamen tantum serviebant umbris et figuris mysteriorum, quibus deserviunt Sacerdotes et Ministri Novae Legis. 2o. Ex Doctrina Christi et Apostolorum in novo Testamento, prout videri potest in Evangeliis et Epistolis. 3o. Ex qualitatibus, quas Scriptura Ecclesiasticis attribuit, et ex quibus eorum sanctitatem et perfectionem concludit

P. 6. *Quae sunt istae qualitates?*

R. En praecipuas: Christus eos vocat *sal terrae*, *lucem mundi*, Apost. *Dispensatores Mysteriorum Dei. Homines Dei. Adjutores Jesu Christi et pro ipso legatione fungentes.* Malachias, *Angelos Domini*; imo etiam *Deos* illos appellat Psalmista. Quae omnia indubie ad perfectionem maxime sublimem eos obstringunt.

P. 7. *Quid hac de re sentiunt SS. Patres?*

R. Unanimiter asserunt eos ad sanctitatem vitae atque perfectionem specialem teneri. Unus pro omnibus sit S. Augustinus: *Clericus duas res professus est: et Sanctitatem et Clericatum.* Serm. 1. de communi Vita Cleric.

P. 8. *An id etiamnum docet Ecclesia?*

R. Omnino; ita quidem se explicat in novissimo Concil. Œcumenico: *sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum, prae se ferant: levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent,*

effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Conc. Trid. sess. 22. de Reform. cap. 1.

P. 9. *Quid debent facere Clerici, ut Sanctitatem, quam exigit status eorum, acquirant?*

R. Maxime haec quatuor: 1°. Magno zelo satisfacere obligationibus, officiis et muniis status sui, conformiter ad ordinem quo insigniti sunt et Beneficium quod possident. De his jam non agemus. 2°. Diligentissime evitare omne malum et omne quod habet specimen mali. 3°. Exercere se in virtutibus modo perfectiori. 4°. Humiliter se subjicere regulis morum ab Ecclesia in suis Canonibus praescriptis. De his in sequentibus.

CAPUT VIII.

De peccatis Ecclesiasticorum.

P. 1. *Suntne rationes aliquae speciales pro Ecclesiastici cur peccata evitare teneantur?*

R. Affirmative. 1°. Ut ex antecedentibus colligitur, eorum peccata ingratitudine et malitia peccata reliquorum fidelium quam plurimum superant. 2°. Communiter magis scandalosa sunt seu proximo perniciosa. 3°. Difficillimum est Clericis perversis seriam agere poenitentiam.

P 2. *Quae peccata majori cura ac sollicitudine vitare debet Ecclesiasticus?*

R. Oportet eum irreprehensibilem esse, atque adeo ab omni malo, imo ab omni specie mali

prorsus alienum; sed prae caeteris aversionem specialem habere debet a superbia, impudicitia et gula.

P. 3. *Quare Clericus maxime detestari debet omnem superbiam?*

R. 1°. Quia nullum peccatum adeo detestatur Deus, cujus minister est. 2°. Quia nullum adeo directe opponitur doctrinae et exemplis Christi Domini cujus discipulus est. 3°. Quia character genuinus est reprobationis aeternae. 4°. Quia initium est omnis peccati et omnium virtutum aerugo.

P. 4. *Quare Clericus speciali odio debet prosequi omnem immunditiam?*

R. 1°. Quia peccatum est, quod Apostolus Paulus nequidem vult nominari inter Christianos, quanto minus inter Clericos. 2°. Quia propter illud crimen Deum poenituit quod hominem fecisset, mundum diluvio punivit, et quinque civitates igne et sulphure in cineres redegit. 3°. Quia experientia teste nullum vitium est, quod saepius et sensibilius Deus punit in hac vita, et teste S. Petro, etiam nullum quod severius puniet in altera. (2. Pet. cap. 2. v. 9 et 10) 4°. Quia difficillime ab hoc viscoso luto se extricant, qui semel sunt intricati; juxta hoc Spiritus Sancti oraculum: *non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum.* Osee. 5.

P 5. *An immunditia non est magis abominanda in Clericis, qnam in Laicis?*

R. Indubie; atque ideo praeter rationes allegatas, cur immunditiam odisse debeant, specialiter

pro ipsis militant sequentes. 1o. Sanctitas Status quem profitentur, cui specialiter repugnat impudicitia, signanter si in Ordinibus Sacris sint constituti; quia tunc eorum immunditiae habent circumstantiam Sacrilegii propter votum castitatis. 2o Angelicae functiones quas exercent, praecipue dum assistunt tremendo Sacrificio in quo immolatur Agnus absque macula.

P. 6. *Quare Ecclesiasticis specialiter horrori esse debet gula, seu crapula et ebrietas omnisque noxius excessus?*

R. 1o. Quia corpori et animae aequaliter nocet: foecunda parens est omnis generis morborum et tinea virtutum, pietatis praesertim ac fervoris. 2o. Quia proximum magis scandalizat. 3o. Quia ineptum reddit Ecclesiasticum, ut functionibus suis debite fungatur, hebetudinem in intellectum, confusionem in memoriam, teporem, nauseam et pigritiam in omnes animae faculates inducens.

P. 7. *An nullas cautelas adhibuit Ecclesia, ut ab hoc vitio Ministros suos alienaret?*

R. Affirmative, inter alia sub poenis gravissimis, etiam hic suspensionis, prohibet illis accedere popinas potitandi causa, solum casum necessiiatis v. g. itineris excipieus.

CAPUT IX.

De virtutibus Ecclesiasticorum.

P. 1. *Quas Virtutes debent habere Ecclesiastici?*

R. Omnes omnino; *Christus omnes ab eis*

Virtutes requirit, inquii S. Chrys. hom. 15. in Matth. super haec verba: *ros estis sal terrac.*

P. 2. *Debentne excellere in fide?*

R. Affirmative, quia sine illa impossibile est placere Deo.

P. 3. *Qualis debet esse illa fides?*

R. 1°. Debet esse viva et operans; ita ut, sicuti v. g. fide divina credit Ecclesiasticus se teneri ad vitam sanctam et perfectam, ita conetur indies in virtute proficere. 2°. Debet esse simplex et humilis, submissa scilicet omnibus decisionibus et definitionibus Ecclesiae.

P. 4. *An etiam excellere debent in spe et fiducia in Deum?*

R. Certissime; etenim difficultates maximae et labores assidui, qui functiones eorum indivulse comitantur: tentationes violentae, quibus undequaque sunt circumdati; et pericula innumera, quibus exponuntur quotidie in medio mundi corrupti: haec, inquam, omnia eos obligant, ut unice in Domino confidant, ejus adjutorium fiducialiter praestolantes.

P. 5. *An Ecclesiastici tenentur multum amare Deum?*

R. Quis ergo Deum amabit, si id non praetent ministri ejus? Quis eum diliget, si ardentissima charitate eum non dihgant illi, quos amicos et fratos suos vocare dignatur? Dominus noster Jesus Christus, ut notat S. Aug. volens curam animarum conferre S. Petro non nisi sanctum amorem ab eo exigii: *non aliud quam* AMAS? · *Interrogatur*, inquit: *non aliua quam*

AMO *respondenti dicitur:* PASCE OVES MEAS. Serm. 104. de diversis.

P. 6. *An Clerici etiam Religione pleni esse debent?*

R. Virtus Religionis character genuinus est veri Ecclesiastici et probi ministri altaris; quapropter ubique locorum eam prae se ferre debent. *Erunt mihi Sacerdotes religione perpetua*, ait Deus ipse Exodi cap. 29.

P. 7. *Quos praesertim effectus in Clericis producere debet Virtus Religionis?*

R. Tremenda Religionis nostrae Mysteria et mira Dei Magnalina, sancto quodam timore, maxima reverentia et tenerrimo amore eos replere debent, atque excitare, ut omni cura et sollicitudine. Dei cultum promoveant, signanter in Officiis divinis, Templorum et Altarium ornatu etc.

P. 8. *Quomodo debent se habere Ecclesiastici erga Virtutem Humilitatis?*

R. In hac sancta et pretiosa Virtute omnes suas delicias constituere, in continua ejus praxi fortitudinem et solatium quaerere debent.

P. 9. *In quibus consistit Clerici Humilitas?*

R. 1o. In eo, ut humiliter de seipso sentiat, nulli se praeferens, omnibus se postponens. 2o. Ut amet solitudinem et vitam absconditam cum Christo in Deo. 3o. Ut servet modestiam et simplicitatem in vestibus, mobilibus et omnibus exterioribus suis.

P. 10. *An etiam Obedientiam practicare debent Clerici?*

R. Omnino tanquam genuini Discipuli divini

et amabilissimi Magistri, qui fuit *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et praeterea in ordinatione ad Sacerdotium Episcopo suo reverentiam et obedientiam solemniter promittunt.

P. 11. *An Ecclesiastici non egent mansuetudine, affabilitate et benignitate?*

R. Egent quam maxime: nihil enim adeo idoneos eos reddit ad sanctificandum alios, quam hae Virtutes: illis imbuti S. Apostolus Paulus et S. Franc. Salesius, omnibus omnia facti infinitas animas Christo lucri fecerunt; imo ipsemet Christus hoc innocenti stratagemate usus est, ut homines ad sui sequelam perduceret, atque in virtute mansuetudinis aeque ac humilitatis seipsum in exemplum dedit Apostolis, dum ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Matth. cap. 11.

P. 12. *An Ecclesiasticus non debet habere amorem omnino specialem pro virtute castitatis?*

R. Sine dubio. Praeclaram hanc virtutem conservare debet tanquam thesaurum immensi pretii; quia status quem profitetur, votum Castitatis implicitum Ordinibus sacris annexum, et functionum suarum sanctitas, eum obstringunt, ut vivat in puritate prorsus Angelica.

P. 13. *Quid oportet facere, ut Castitas conservetur?*

R. 1°. Oportet illam quotidie humiliter a Deo postulare, dicendo cum S. Augustino lib. 10 Conf. cap. 29: *Charitas Deus meus accende me! continentiam jubes, da quod jubes, et jube quod vis.* 2°. Vitare otium, quod pulvinar est diaboli, parens omnium vitiorum, sed maxime impuritatis.

3o. Mortificare quinque sensus, praecipue visum, ad exemplum S. Job: *pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Job. cap. 31. et gustum vitando omnem excessum in cibo et potu; quia corpus laute nutritum rebellat adversus spiritum. 4°. Eo ipso quo tentatio contra castitatem insurgit, vel mala cogitatio incidit, illam excutere ut scintillam ignis, cor ad Deum elevare et ad alia se convertere juxta consilium S. Aug. sermone 250. de tempore: *contra libidinis impetum apprehendem fugam, si vis obtinere victoriam.*

P. 14. *An non sunt alia quaedam media ad conservandum castitatem idonea?*

R. Accipe haec quatuor Primum: frequenter accede ad Sacramenta Poeniteutiae et Eucharistiae. Hoc posterius a SS. Patribus vocatur, et ut effectus demonstrat, revera est, *vinum germinans virgines.* Illnd vero, seu frequens confessio, foecundissimus fons est puritatis, ut praeter experientiam quotidianam, confirmat consensus unanimus Asceticorum et Scholasticorum.

Secundum: Diligentissime devita consortia dissolutae juventutis, et signanter frequentationem personarum alterius sexus, ad litteram observans hanc regulam S. Basilii: *cum mulieribus sermo brevis, rarus et rigidus habendus est.* Reg. brev. ad inter. 109.

Tertium: numquam leges tales fictiones seu fabulas poeticas, talesque fictas historias vulgo *Romans*, quae favore styli elegantioris animos tollunt, et interim vel guttatim et insensibiliter subtile impuritatis venenum cordibus instillant,

vel sine ullis involucris, pudendi hujus vitii obscoena mysteria manifestant.

Quarrum : tenera devotione semper colas Sanctissimam Humanitatem Domini nostri Jesu Christi, et praecipue Mysteria Passionis ejus. Item Sanctissimam Virginem ejus Matrem, SS. Angelos, maxime, tutelarem, Castissimum S. Josephum, et S. Joannem Evangelistam.

CAPUT X.

De Norma Vitae, quam servare debent Ecclesiastici.

P. 1. *An nullas Regulas vitae praescribit Ecclesia suis Ministris?*

R. Praescribit plures, tam in Canonibus Conciliorum et Pontificum, quam in particularibus Synodis et Decretis Episcoporum; unusquisque autem tenetur sufficintem earum notitiam sibi acquirere, et vitam moresque suos secundum illas institnere.

P. 2. *Quid Ecclesia in suis Canonibus prohibet Clericis circa lusus?*

R. 1°. Prohibet ipsi omnes lusus fortunae. 2°. Etiam lusus publicos.

P. 3. *Quid judicandum de reliquis lusibus?*

R. Sub certis restrictionibus possunt esse liciti. 1°. Si tantum ludatur ad animi relaxationem studiis aut functionibus fatigati. 2°. Si non sit periculum acquirendi habitum vel propensionem

ad lusum, quae cognoscuntur adesse, si studia, functiones aut alia negotia exinde patiantur, aut spiritus devotionis et fervoris minuatur 3°. Si non nimis diu ludatur cum dispendio pretiosissimi temporis. 4°. Si solummodo ludant pro minutis summulis, sine periculo ammittendi notabiles. 5°. Si talibus ludis tantum se occupent, qui in illa Dioecesi, Seminario aut communitate, per Leges Superiorum non sunt prohibiti.

P. 4. *Quid dicunt SS. Canones de comaediis choreis etc.?*

R. Omnia haec. sub poenis gravissimus Clericis prohibent. Comoedias absolute inhibent omnibus, etiam Laicis; Choreas autem tripudia et similes recreationes maxime horrere debent omnes Ecclesiastici. De frequentatione popinarum vide supra C. VIII. P. 7.

P. 5. *An praeter Canones Ecclesiae, et Regulas suae Dioecesis, nou debet sibi ipsi aliquas Regulas praescribere Clericus, secundum quas actiones suas quotidianas instituat?*

R. Affirmative, alias vita ejus sine ordine discurret, et miser in perpetua dissipatione gemet; ubi contra *ordo ducit ad Deum,* teste S. Aug. Tempus in varia occupationes distributum apparet brevius, dies transeunt laeti, et coram Deo inveniuntur plemi. Insuper si a prudenti Directore has regulas acceperimus, hoc magnum nobis manet solatium, quod continuo adimpleamus sanctissimam Dei voluntatem

P. 6. *Quomodo Clericus adhuc studiis incumbens dies suos dividet?*

R. Si in Seminario aut communitate aliqua

habitet, Regulas ibi statutas ad amussim observabit, nihil ex propria electione mutabit; nihil addet quod ordinem posset turbare, nihilque omittet; sed omnia multo cum amore amplectetur, tamquam Jugum Christi suave; quod ejns humeris ipse Salvator imponit. Specialem autem curam habebit, ut cum externa Regularum observantia jungat spiritum internum; non ad oculum serviens, sed omnia faciens, ad Majorem Dei gloriam, et etiam nihil omittens ex respectu humano. In Precibus et Exercitiis spiritualibus semper attentus et devotus, Meditationem et Lectionem spiritualem pii libri nullo die praetormittet, tempora studii exacte implebit, in recreationibus, semper erit modestus et exemplaris.

Si vero extra Seminarium vel communitatem habitet, vitae normam a Confessario suo vel vel alio Viro prudenti exiget; aut si ante in Seminario aliquo habitaverit, eam vitae normam, quae ibidem observabatur, in qnantum fieri poterit, tenebit.

CAPUT XI.

De Oratione Mentali seu Meditatione, quam quotidie instituere debent Ecclesiastici.

P. 1. *Quid est oratio Mentalis?*

R. Est exercitium pietatis, quo debitum Deo cultum reddimus, meditantes veritates, quas revelavit, et per varios pios actus conantes obtinere

auxilia gratiae ejus, ut secundum illas vitam moresque nostros instituere valeamus.

P. 2 *Quid sentiendum de illo pietatis exercitio?*

R. Illud necessarium prorsus esse ad acquirendam perfectionem Christianam, proinde multo magis ad perfectionem Ecclesiasticam; ita ut merito illud summopere extollant, et ab omnibus Clericis quotidie instituendum asserant Vitae Spiritualis Magistri.

P. 3. *An non aliqua methodo opus est, ut fructuose hoc exercitium peragatur?*

R. Affirmative, maxime pro incipientibus: sine methodo enim millenis distractionibus exponetur Ecclesiasticus, inutiliter tempus teret, imo periculo se exponet in perniciosas illusiones daemonis incidendi.

P. 4. *Habita certa methodo, an numquam ab illa recedere licet?*

R. Ordinarie illam tenere debemus; sed si alteri magis afficiamur, aut nobis a perito ac prudenii Directore praescribatur, priorem dimittere possumus.

P. 5. *An necessarium est, in singula Meditatione percurrere omnes actus in methodo praescriptos?*

R. Negative, et ideo, si unicus nos sufficienter occuparet, alios omnes praetermittere possemus. Ratio illius est, quod oratio sit donum Dei; Deus autem in donis et gratiis suis distribuendis, methodum tenere non debet; ejus proinde nos spiritum sequi debemus, ita tamen ut attentione vel devotione deficiente in uno actu, ad methodum nostram recursum habeamus.

P. 6. *Quid faciet meditans, si non obstante fidelitate sua in sequenda methodo patiatur distractiones, ariditates, imo tentationes in singulis actibus?*

R. Constanter perseverare debet, donec tempus meditationi statutum totum sit elapsum, interim fideliter rejiciens distractiones, patienter ferens ariditates et fortiter tentationibus resistens; ita majus saepe meritum ex oratione referet, quam si deliciis coelestibus superfusus fuisset.

P. 7. *Da methodum, secundum quam meditationem instituere possit Ecclesiasticus?*

R. En capite sequenti unam, quae in pluribus Seminariis docetur. Sub petitionibus et responsionibus hic proponitur ad captum juniorum Ecclesiasticorum.

CAPUT XII.

Methodus Meditationem instituendi.

P. 1. *Quot partibus constat oratio mentalis?*

R. Tribus : praeparatione, corpore orationis, et conclusione.

P. 2. *Quid est praeparatio?*

R. Sunt varia ante orationem praestanda, quae nos ad illam disponant *Ante orationem praepara animam tuam,* inquit Eccl. cap. 18, *et noli esse quasi homo qui tentat Deum.*

P. 3. *Quomodo dividitur praeparatio?*

R. In remotam et proximam.

P. 4. *In quo consistit praeparatio remota?*

R. In his: 1°. Ut animum ab omni prorsus affectu erga peccatnm emundet, passiones refraenet et objecta externa omnia, negotia ac qnascnmque distractionum causas a se excludat. 2°. Ut vesperi materiam meditationis crastinae praevideat ac in puncta quaedam distribuat. 3°. Ut ab illo tempore usque ad tempus meditationis, strictum silentium observet. 4°. Ut adveniente meditationis hora, alacriter et cum gaudio ad illam properet.

P. 5. *In quibus consistit praeparatio proxima?*

R. In his: 1°. Ut se collocet meditans in praesentia Dei. 2°. Coram ipso se humiliet. 3°. Ejus gratiam imploret. 4°. Finem particularem sibi praefigat.

P. 6. *Quomodo orans se collocabit in praesentia Dei?*

R. Viva fide Deum immensitate sua ubique praesentem apprehendet, omnia videntem, omnia audientem, scrutantem corda et renes. Ad hanc veritatem reflectere, est in praesentia Dei se collocare; haec autem reflexio breviter fieri potest dicendo v. g. cum Abrahamo: *loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*, Gen. 18.

P. 7. *Quomodo se coram Deo humiliabit?*

R. Postquam ad Deum praesentem reflexerit, reflectet ad seipsum, et indignitatem suam reflectet ad seipsum, et indignitatem suam recognoscens, signanter propter pecata, eliciet actum contritionis, veniam petet et Domino nostro Jesu Christo se uniet, ut appareat coram Divina Majestate et in ejus nomine cum fiducia oret.

Oppertune hic dicet cum Publicano; *Domine propitius esto mihi peccatori.*

P. 8. *Quomodo Dei gratiam inplorabit?*

R. Brevi sed ferventi prece Deum obtestabitur, ut ei det lumen et auxilium ad bene meditandum, agnoscens infirmitatem suam et impotentiam ad salutariter orandum. Poterit hic etiam dicere cum Samuele: *loquere Domine, quia audit servus tuus.* I. Reg. 3.

P. 9. *Quomodo intentum suum formabit?*

R. Materiam quam vesperi praeparaverat, rursus breviter recolet, praevidebitque quos affectus in illa reperire possit, et praecipue, quem effectum specialem haec meditatio in ipso producere debeat, sive sit vitii alicujus extirpatio, sive virtutis acquisitio, sive morum reformatio, aut alius quiscumque.

P 10. *Quid est corpus meditationis?*

R. Sunt varii actus, qui inter meditandum eliciuntur ab anima, et qui ipsam orationem mentalem quodammodo componunt.

P. 11. *Quot sunt similes actus?*

R. Sunt quinque principales: adoratio, consideratio, affectus, petitio, et resolutio.

P. 12. *Quid intelliges per* Adorationem?

R. Non intelligitur tantum simplex adoratio summi Numinis. sed simul varii alii similes actus erga illud, ut sunt laudatio, gratiarum actio, amor, desiderium illi placendi in hac oratione, etc.

P. 13. *Da modum illos actus debiti cultus Deo reddendi initio meditationis.*

R. Potest hoc firi dupliciter: 1°. independenter

a subjecta materia meditationis; nempe sibi repraesentando in genere Magnalia Dei et infinitas ejus perfectiones, sapientiam, bonitatem, etc. ac propterea eum adorando, benedicendo, etc. 2o. Dependenter a materia meditationis, quando veritatem quam elegimus ad meditandum, per fidem apprehendimus, exinde erumpimus in actus adorationis, laudationis, etc. propter illa quae in veritate ista continentur.

P. 14. *Quid intelligis per* considerationem?

R. Intelligo applicationem intellectus, 1o. ad considerandum materiam per memoriam propositam, penetrando in ejus naturam et proprietates, circumstantias et sequelas omnes, illud undequaque vertendo, et inhaerendo illi, quod mentem magis ferit et afficit. 2o. Ad considerandum dispositiones nostras respective ad veritatem quam meditamur, reflexiones quas fecimus, nobis ipsis applicando: quaerendo v. g. an illud vitium nos ipsi fugiamus, quod vidimus tantopere displicere Deo, tam turpe, tam noxium etc. An illam virtutem nos ipsi practicemus, quae Deo tam grata, in se tam pulchra, tam utilis nobis et proximo etc. Haec secunda consideratio vocatur reflexio sive applicatio ad seipsum, sine qua meditatio sterilis et infructuosa plerumque manebit.

P. 15. *Quid intelligis per* affectus?

R. Sunt actus seu pii motus voluntatis orti ex duabus considerationibus jam dictis, et ita pro varia materia meditationis variabuntur dicti affectus; ordinarii autem qui ex consideratione objecti meditationis oriuntur, sunt: timor judi-

ciorum Dei, fiducia propter ejus misericordiam, amor benevolentiae, complacentiae etc. ob infinitas ejus perfectiones, gratitudo ob ejus beneficia, zelus pro ejus honore et gloria, charitas erga proximum et ador allaborandi ejus saluti aeternae, etc. Ex consideratione vero seu reflectione ad seipsum oriuntur v. g. affectus confusionis, contritionis, contemptus sui, renunciationis sui ipsius, protestationis fidelitatis, etc.

P. 16. *Quid specialiter notandum circa affectus?*

R. Hoc, quod in iis sequendus sit ductus Spiritus Sancti, ita ut si affectus aliquis cor cor specialiter accupet, non ad sit alium transcurrendum, sed illi inhaerendum, donec animus fuerit sufficienter enutritus.

P. 17. *Quid est* petito?

R. Est actus voluntatis, quo a Deo poscimus, ut in nobis, de nobis per nos, circa nos et circa omnia nostra fiat, et adimpleatur sanctissima ejus voluntas ad majorem ejus gloriam et honorem; quo etiam eum deprecamur pro necessitatibus Ecclesiae, amicorum, parentum etc. Et tandem quo petimus gratias particulares pro subjecta materia meditationis, interponentes in his omnibus Merita Christi, Patrocinium B. Mariae Virg. et Sanctorum.

P. 18. *Quid intelligis per* resolutiones?

R. Sunt actus voluntatis orti ex considerationibus et affectibus, quibus firmiter proponimus juvante Dei gratia exequi certas praxes virtutum vel bonorum operum, quas concepimus nobis necessarias essc aut utiles.

P. 19. *Quaenain observanda sunt circa* resolutioncs?

R. 1°. Ut non nimis multae sint, quia sic mentem confunderent, melius est quotidie paucas facere, easque fideliter in praxim deducere. 2°. Non sufficit quod sint generales, sed debent esse omnino particulares quoad tempus, personam, actiones etc. Ita ut resolvat meditans, quid in talibus individuis circumstantiis sit dicturus v. g. vel acturus. 3°. Efficaces esse debent, ex resoluta generosa voluntate procedentes; ideoque eas in charta quandoque describet, ut si magis memortae imprimantur et eas postea relegere possit ad voluntatem firmandam. 4°. Resolutiones illas comitari semper debet magna diffidentia de seipso et firma confidentia in Deo.

P. 20. *Quid fieri debet in conclusione meditationis?*

R. 1°. Oportet Deo gratias agere pro beneficiis, piis inspirationibus et motibus gratiae 2°. Veniam petere de defectibus admisis. 3°. Eum rogare, ut benedicat bonis nostris propositis, praesenti dieci, vitae nostrae et morti. 4°. Assumere ex punctis meditatis illa quae animum magis affecerunt, ut de die ea aliquando mente revolvamus. 6°. Resolutiones nostras omnemque orationis fructum B. M. V. commendare, recitantes in hunc finem: *sub tuum praesidium confugimus, etc.*

CAPUT XIII.

De quatuor minoribus ordinibus, qui alipuando simul cum Tonsura conferuntur.

P. 1. *Quot sunt Ordines* minores *sive* non sacri, *et quare ita vocantur?*

R. Sunt quator: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcitatus et Acolytatus. Vocantur *minores* cum respectu ad ordines majores, quorum obligationes, fuctiones et ministeria multo plures sunt et majoris momenti. Sic etiam vocantur *non sacri,* quia non dant potestatem, sicut majores ordines, tangendi vasa sacra, et propius accedenti ad Sacrificium, neque etiam voto castitatis hominem Deo consecrant ut majores

P. 2. *Au igitur minores ordines non sunt res sacrae et magni momenti?*

R. Sunt sane permagni, ita quidem ut, si conferantur cum dignitatibus hujus mundi, illas omnes sine comparatione antecellant; sunt etiam maxime sancti seu sacri, imo cum fundamento quaeritur, an non sint Sacramenta. Dignitas et excellentia cujustibet in particulari ex sequentibus patebit.

P. 3. *Quid pro praxi concludendum ex eo, quod cum fundamento disputetur, an ordines minores non sint Sacramenta?*

R. 1°. Quod omnis qui illos suscipere intendit, se disponere debeat quasi Sacramentum vivorum esset suscepturus. 2°. Quod diligenter attendere

debeat, ut instrumenta, quae in eorum collatione porriguntur physice tangat.

P. 4. *Quaenam est materia et forma* Ostiariatus? (1)

R. Materia remota sunt claves Ecclesiae, proxima vero illarum traditio, sive actus Episcopi quo claves taugendas praebet. Forma ejus sunt haec veiba: *sic agite quasi reddituri. Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.*

P. 5. *Quae sunt officia seu ministeria Ostiarii?*

R. Praecipua sunt sequentia; 1°. Ecclesiam et omnia quae ad illam spectant, fideliter custodire, ut patet ex verbis formae. 2°. Portas Ecclesiae aperire et claudere. 3°. Dignos admittere, et indignos ab ejus introitu arcere. 4°. Populum et Clerum campanae sonitu ad Ecclesiam convocare. 5°. Sacrarii curam gerere, Ecclesiam et Altaria nitida et munda servare, et secundum varietatum festorum ornare. 6°. Omnem irreverentiam arcere ab Ecclesia, sive à pueris, mendicis aut aliis, sive etiam à canibus committantur.

P. 6. *Quae virtutes maxime conveniunt Ostiariis?*

R. 1°. Magna vigilantia, ut patet ex eorum ministeriis, et ex eo quod Episcopus in eorum ordinatione deprecetur Deum, *ut sit eis fidelissima cura in domo ejus, diebus ac noctibus.*

2 . Fervens zelus pro decore Domus Dei, ita ut vere possint dicere cum Psalmista: *Domine,*

---

(1) Est ordo quo, traditione clavium, sub praescripta verborum forma, traditur potestas ad claudendas et aperiendas Ecclesiae januas; et ad arcendos ab ipsa indignos, Infideles scilicet et Excommunicatos, dignosque in ipsam admittendos (*Vid. Catoch ad Ordin.*

dilexi decorem Domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae. Psal. 25.

3°. Bonum exemplum, praecipue in modestia et reverentia erga Domum Dei et Sanctissima quae ibi peraguntur Mysteria. Ratio est quod eorum officium sit irreverentias aliorum impedire; hoc autem verbis et exemplis facere tenentur, ut eos monet. Episcopus; neque verbis efficient, si non praecedat exemplum.

4°. Timor Dei, quia continuo versantur in Ecclesia et res sacras tractant, quod sensim sine reverentia et cum damnabili familiaritate facient, si ingenti Timore Dei non sint perculsi, indentidem haec verba Patriarchae Jacob repetentes: *quam terribilis est... locus iste? non est hic aliud nisi Domus Dei et porta coeli* Gen. 28.

P. 7. *Quomodo probas excellentiam ordinis Ostiariatus?*

R. 1°. Ex factis Christi, quibus ministeria hujus ordinis exercuit dum scilicet irreverentias quae ab ementibus et vendentibus in templo Hierosolymitano committebantur, zelosissime correxit et inhibuit, eos bis ejiciendo, et, dum teste S. Marco cap. 11. *non sinebat ut quisquam transferret vas per templum.* 2°. Ex eo quod Ecclesiae, et res maxime divinae quae in illis continentur, omniaque quae ad illas spectant, Ostiariorum fideli custodiae et curae committantur.

P. 8. *Quae est materia et forma ordinis* Lectoratus? (1)

(1) Est ordo quo, traditione clavium, sub praescripta verborum forma, traditur potestas ad claudendas et aperiendas Ecclesiae januas; et ad arcendos ab ipsa indignos, Infideles scilicet et Excommunicatos, dignosque in ipsam admittendos (*Vid Catech. ad Ordin.*)

R. Materia remota est *liber Lectionum* e Scriptura Sacra, proxima vero est *Traditio ejus* ab Episcopo facta. Forma sunt haec verba: *accipite et estote Verbi Dei Relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui Verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

P. 9. *Quae sunt officia seu ministeria Lectoris?*

R. Adhuc in usu sunt sequentia: 1°. Legere et cantare Lectiones, quae sive in Matutino sive in Missa recitantur 2°. Pueros fidei rudimenta edocere, si ita Episcopo videatur. 3°. Scripturam Sacram, Homilias SS. Patrum, Martyrum et aliorum Sanctorom Acta populo praelegere.

P. 10. *Quae virtutes propriae sunt Lectoribus?*

R. 1°. Magna devotio erga Scripturam S., ita ut assidne et maxima cum reverentia illam legant, ejus studium omni alteri praeponant, et omni cura incumbant, ut ejus intellectum assequantur. 2°. Fides viva et operans eorum quae in Scriptura Sacra continentur; de hac enim eos monet Episcopus, dum dicit: *quod ore legitis corde credatis, atque opere compleatis.* 3°. Zelus salutis animarum, qui in ipsis efficiat, ut cum fervore et multa patientia pueros catechisent, et ut generoso animo *ad altiorem Virtutem gradum* conetur pervenire, atque ita *auditores suos* non tantum *verbo*, sed maxime *exemplo docere possint* ad quae eos Episcopus excitat.

P. 11. *Ex quibus desumitur dignitas ordinis Lectoratus?*

R. 1°. Ex eo, quod non tantum Prophetae ejus ministeria exercuerint, sed etiam ipse Chris-

qui in Synagoga Nazareth *surrexit legere*, *et traditus est liber Isaiae Prophetae*. Lucae cap. 4.

2°. Ex eo, quod multis encomiis extollatur hic ordo a Sanctis Patribus, tam graecis quam latinis. S. Cyprianus dicit, quod *Aurelius et Celerinus ob Christum in tormentis confessum.... Lectoris munere donati sint.* Epist. 33. et 34. S. Ambrosius vocat Lectorem *Praeconem*, *Expositorem Mysteriorum Christi*, *Doctorem audientium*.

P. 12. *Quae est materia et forma* Exorcistatus? (1)

R. Materia remota est liber Exorcismorum, proxima est illius Traditio, Forma vero est haec: *accipite et commendate memoriae*, *et habete potestatem imponendi manus snper Energumenos, sive Baptizatos sive Catechumenos.*

P. 13. *Quae sunt officia Exorcistae?*

R. Primum exprimitur in forma, scilicet ejicere daemones ab obsessis, et etiam ab illis, qui praeparantur ad Baptismum seu Catechumenis. Sed hoc officium solis Presbyteris hodiedum committitur ab Episcopis. Secundum est praeparare aquam ut benedicatur pro Baptismo, Exorcismis et aspersione fidelium. Tertium, curare ut aqua benedicta non desit et Sacerdoti eam benedicenti, item Baptizanti et Exorcisanti ministrare. Quartum, non communicaturis dicere ut ab altari recedant et communicaturis dent locum.

P. 14. *Quibus virtutibus specialiter praediti esse debent Exorcistae?*

---

(1) Est Ordo quo traditione libri Exorcismorum, sub praescripta verborum forma, traditur potestas ad legendos Exorcismos, super Energumenos, ut daemonem ab ipsis expellant. (*Vid. Catech. ad Ord.*)

R. 1°. Magna conscientiae puritate : quia *debet habere spiritum mundum qui spiritibus imperat immundis*, inquit Ivo Carnot. 2°. spiritu orationis et mortificationis, quia teste Salvatore Matth. cap. 17. *Hoc genus non ejicitur nisi in oratione et jejunio. Qui.... orat et jejunat, terribilis hostis daemonibus redditur*, inquit S. Chrysost in illa verba. 3°. Humilitate, quia daemon spiritus superbissimus est, contraria autem contrariis pelluntur.

P. 15. *Quomodo ostendis dignitatem ordinis Exorcistatus?*

R. 1°. Ex eorum officiis; praesertim quod potestatem exerceant in daemones, propter quod *spirituales imperatores* eos vocat Ecclesia. *Pontif. Rom.* 2°. Ex eo, quod unum ex praecipuis muniis Salvatoris exerceant, qui teste Joanne cap. 3. *In hoc apparuit.. ut dissolvat opera diaboli.*

P. 16. *Quae est materia et forma ordinis* Acolythatus? (1)

R. Indubitatum est, quod urceolus vacuus sit partialis saltem materia remota; sed disputatur an candelabrum cum cereo sit etiam materia partialis. Traditia horum instrumentorum est materia proxima.

Forma traditionis urceoli est haec : *Accipite urceolum, ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.* Forma vero traditionis candelabri cum cereo (de

(1) Est Ordo quo, traditione urceoli vacui, et Ceroferarii cum cereo, sub praescripta verborum forma, traditur potestas ad eosdem urceolos cum vino et aqua porrigendos in Sacrificio Missae, et ad luminaria accensa deferenda, maxime cum legitur Evangelium. (*Vid. Catech. ad Ordin.*)

qua dubitatur an sit essentialis) est haec: *Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari, in nomine Domini.*

P. 17. *Quae sunt munia Acolythi?*

R. 1°. Superpelliceo indutus Missae Sacrificio solemniter deservire debet, et in omnium Sacramentorum administratione Presbyterum sequi eique ministrare.

2°. *Acolythorum est, Ministros majores Subdiaconos et Diaconos in Altaris ministerio assectari, eisque .... ministrare.* Catech. Rom.

3°. Aquam et vinum praeparare et urceolis infundere, ut patet ex verbis formae.

4°. Cereos et alia Ecclesiae luminaria accendere, ignem et incensum praepare ac thuriferarium agere.

5°. Ceroferaria deferre in Missa solemni ad Evangelium, Elevationem, Processionem, etc.

P. 18. *In quibus virtutibus excellere debet Acolythus?*

R. Praecipue in sequentibus, quae eorum muniis respondent. 1°. In castitate: ad hanc eos hortatur Episcopus his verbis: *Tunc... in Dei Sacrificio digne vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo Sacrificium, per castam vitam et bona opera oblati fueritis.* Pont. Rom. de ordin. Acolyth.

2°. In bono Exemplo: hoc deprecatur Episcopus, dum dicit: *Quatenus lumen visibile manibus praeferentes, lumen quoque spirituale moribus praebeant.* Pont. Rom. ibid.

3°. In tenera devotione erga Sanctissimam Eucharistiam, pro qua materiam praeparant.

4°. In oratione vocali et mentali quae sicut

incensum continuo dirigatur in conspectu Dei.

5o. In modestia exteriori, ut *Christi bonus odor sint in omni loco.*

P. 19. *Quomodo ostenditur dignitas et eminentia ordinis Acolythatus?*

R. 1o. Ostenditur ex potestate, quae Acolythis confertur in Corpus Christi verum, seu naturale; quatenus ex officio, Sacrificii materiam praeparare debent.

2o. Ostenditur ex eo, quod vi ordinis sui prae caeteris ministris inferioribus altari appronpinquare et sacrificanti deservire possint.

P. 20. *Quid exigit Concilium Trident, ab eis qui ordines minores suscepturi sunt, aut jam susceperunt?*

R. Haec. 1o. *Scientiam debitam aut spem fundatam illius acquirendae, et ut linguam latinam jam intelligant, cumque hinc ad altiores gradus et Sacratissima Mysteria sit ingressus,* inquid, *nemo iis initietur, quem non scientiae spes majoribus ordinibus dignum ostendat.* Conc. Trid sess. 23. de Reform. c. XI.

2o. Ut accurate singulorum istorum ordinum vim et officia perspecta habeant: sive ut edocti sint *quantum sit hujus disciplinae pondus, ac in unoquoque munere, juxta praescriptum Episcopi, se exerceant.* Conc. Trid. ibid.

3o. *Ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina major accrescat: quod, et bonorum operum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga presbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior quam antea corporis Christi communio comprobabunt.* Conc. Trid. ibid.

PRECES
MATUTINAE, VESPERTINAE
ET ALIA PIETATIS
EXERCITIA,
AD USUM ALUMNORUM SEMINARIORUM.



CAPUT I.

Surrectio Matutina.

1. Cum Deus sibi specialiter complaceat in oblatione primitiarum; gratissimae ipsi erunt primitiae nostrarum cogitationum, verborum, et actionum cujuscumque diei; quae etiam plurimis titulis ipsi debentur, et non sine ingenti injuria erga liberalissimum Creatorem et optimum Patrem; dari possunt ejus inimicis. Quapropter curabunt diligenter Alumni, ut primam cogitationem ad Deum dirigant, prima verba, primumque opus ipsi consecrent: haec autem tria facili methodo praestabunt, si eo ipso quo evigilant, signent frontem, os et pectus signo crucis, dicendo ex toto corde: ad frontem, *in nomine Patris*, ad os, *et Filii*, ad pectus, *et Spiritus Sancti*; eadem actione omnes diei cogitationes. verba et opera Deo offerre et consecrare possunt. Cogitationes,

dum signant frontem; verba, dum signant os, et actiones, dum signant pectus. Sic tandem profitentur praecipua religionis nostrae mysteria, etc.

2. Deinde devote dicant: *Jesu! Maria! Joseph!* oculos conjiciendo in crucifixum.

Nota, quod ad pedes lecti debeat pendere Imago *Crucifixi*, in quam evigilans oculos conjicere assuescat, etiam in noctis tenebris, cum pia aliqua aspiratione.

3. Ad primum excitatoris signum, velociter surgant, ac si ignis cubili injectus esset, interim dicentes: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilio.* Psal. 62.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Domine Deus Sabaoth etc. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilavi ad te, etc.

Nota, quod, teste S. Vincentio a Paulo, permagni momenti sit propera et diligens surrectio, atque Deo maxime honorifica, cum sit prima actio diei; ac propterea adversarium nostrum diabolum tamquam leonem circuire lectum, ut nos in pigritia aliquantisper detineat, sicque primitias Deo nostro praeripiat. Asserit etiam Cardinalis Bona, et docet unumquemque experientia, quod a celeri et prompta surrectione matutina multum dependeat divina visitatio totiusque diei fervor et alacritas.

4. Dum inter aspirandum sufficienter induti fuerint ad honestatem, e lecto surgent, signo crucis se munient, et in genua provoluti Deum adorabunt, eiquo gratias dicendo: *gloria Patri qui creavit me, gloria Filio qui redemit me, glo-*

ria Spiritui Sancto qui sanctificavit me; gloria Sanctae et individuae Trinitati quae in ministrum (vel *Sacerdotem*) *assumpsit me.*

5. Se lavando dicant: *amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.* Psal. 50.

Asperges me hysopo et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor. Ibid.

Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parve servo tuo. Psal. 18

6. Dum se induunt, variis aspirationibus corpus, animam et sensus omnes Deo commendent dicendo v. g. *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum retcum innova in visceribus meis.* Psal. 50.

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis. Psal. 140.

Averte oculos meos ne videant vanitatem. Ps. 118.

Sonet vox tua in auribus meis. Cant. 2.

Non extendam ad iniquitatem manus meas. Psal. 124.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Psal. 118.

Eripe pedes meos a lapsu. Psal. 114.

Ad togam talarem dicant: *indue me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Ephes. 4.

Ad cingulum: *praecinge lumbos meos, purissime* Jesu, *cinguto castitatis et pudicitiae.*

7. Juxta praxim S. Francisci Salesii Patroni sui, omnia diei opera, conversationes, ac negotia, pericula et occasiones peccatorum, praevideant, ac media opportuna abud se praeparent, quibus omnia sua ad majorem Dei gloriam perficiant,

et omne malum declinent. Aspirent in hunc finem cum ipso: *notam fac mihi viam in qua ambulem. Spiritus tuus bonus deducat me per viam rectam. Nonne Deo subjecta erit anima mea etc.*

8. Dum juxta leges decenter habitu suo Ecclesiastico vestiti, pecti et loti erunt, ad Sacellum properabunt, ut dicitur in Catech. fol. 26 cap. XII. ad. P. 4.

CAPUT II.

Preces Matutinae.

Hora quinta pulsatur ad Salutationem Angelicam

Ad primum pulsum (1) V. *Angelus Domini nuntiavit Mariae.*

R. *Et concepit de Spiritu sancto. Ave Maria etc.*

Ad secundum. V. *Ecce ancilla Domini.*

R. *Fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria etc.*

Ad tertium. V. VERBUM CARO FACTUM EST.

R. *Et habitavit in nobis. Ave Maria etc.*

V. Ora pro nobis S. Dei Genitrix.

R. Ut digni effeciamur promissionibus Christi.

---

(1) Benedictus XIII, concedit indulgentias plenarias in uno die cujuslibet mensis lucrandas, omnibus illis *qui mane, aut meridie, seu vespere ad pulsum campanae*: Angelus Domini, etc, *cum tribus* Ave Maria, *flexis genibus devote recitaverint*, atque ea omnia praestiterint, que pro plenrriis indulgentiis praestari debent. *In reliquis vero anni dibus*, idem Pontifex concedit *Christi fidelibus vere contritis quolis id egerint, centum dierum indulgent'as.*

Poster declaravit Benedictus XIV, quod preces illae toto tempore Paschali, omnibus Dominicis per annum et diebum Sabbathi post meridiem, seu vespere, possint persolvi stando.

Merito igitur monentur alumni, ut has indulgentias lucrari conentur, omnes conditiones diligenter adimplendo, ex puro puta amore erga charisimam suam Matrem.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui, Angelo nuntiante, Christi filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus et crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. R Amen.

Post Pulsum.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. R. Amen

Cantatur, inchoante Sacerdote.

HYMNUS :

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibns,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemqne dones protinus:
Ductore sic te praevio

Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamns omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclyto
In saeculorum saecula. Amen.

V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.
R. Et renovabis faciem terrae.

OREMUS.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Dominium nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

Sacerdos sequentia praelegit clarâ voce.

GRATIARUM ACTIO.

Benedictia sit Sancta Trinitas, atque indivisa Unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam sum. R. Amen.

Gratias tibi agimus, Sanctissima Trinitas, pro custodia in hac nocte, et incolumitate misericorditer nobis praestito, et pra caeteris collatis

beneficiis: da quaesumus, ut semper in digna gratiarum actione vivamus. R. Amen.

ACTUS FIDEI.

(1) Firma Fide Credo te Deum esse, Unum in Essentia, Trinum in Personis; Credo Filium Dei *Jesum Christum* incarnatum, passum pro nobis et mortuum; Credo te Remuneratorem bonorum, et Vindicem malorum; Credo et profiteor qua Symbolo Apostolorum continentur, et omnia ac singula, quae sancta Ecclesia Romano-Catholica mihi credenda proponit, quia tu Deus summa Veritas es, qui ea revelasti.

In hac fide et pro hac fide vivere et mori volo ac statuo.

Servetur pausa brevissima, sub qua unusquisque possit secreto dicere: ita est, Deus meus, Credo omnia quae revelasti, quia tu suprema Veritas es, qui propter infinitam Sapientiam falli, et propter immensam bonitatem me fallere non pates.

ACTUS SPEI.

Misericordissime Deus, spero per passionem et merita *Jesu Christi*, hic tuam gratiam et remissionem peccatorum posthac vitam aeternam in beatifica tui possessione, quia tu Deus meus

(1) Benedictus XIII, 15 Jan. 1728. concessit indulgentias plenarias uno die in singulo mense lucrandas, ab illis qui singulis diebus devote eliciunt *actus Fidei, Spei et Charitatis*, et illo die quo cupiunt lucrari indulgentias praefatas ea praestant quae pro plenariis requiruntur.

Benedictus XIV, has indulgentias confirmavit 28 Jan. 1756., et concessit quod possint applicari defunctis, et lucrari etiam de novo in articulo mortis. Insuper Pontifex ille concedit indulgentias septem annorum et totidem quadragenarum singula vice, qua quis praefatos actus devote eliciet, licet ex concessione Benedicti XIII, tantum semel de die particulares hae indulgentias obtineri possent.

omnipotens es, et infinite bonus erga nos ac fidelis in promissis.

Dominus firmamentum meum et refugium meum, liberator meus, adjutor meus, sperabo in eum, non confundar in aeternum, Psal. 17 et 30.

Pausa brevissima, sub qua dicatur in corde v. g. Ita Domine Deus, spero vitam aeternam et media ad illam, quia potes mihi illa dare, utpote omnipotens, et vis mihi dare, utpote infinite bonus erga me ac fidelis in promissis.

ACTUS CHARITATIS.

Amo te, Deus meus, super omnia ex toto corde, amo te propter te, et Proximum meum propter te, quia in te ipso es summe Bonus et ipsa Bonitas infinita; et ideo dignus, ut ameris ab omnibus: ament te omnes homines! laudent te omnes creaturae! utinam ego te, Deus, plus amarem! vere me poenitet, quod umquam te offenderim; jam statuo servare omnia Mandata tua.

Pausa brevissima, sub quo possit diei : imo Deus meus, amo te et proximum meum propter te, quia tu omnem bonitatem atque perfectionem in teipso contines.

ACTUS RELATIONIS OPERUM IN DEUM.

Domine Deus, omnium creator et gubernator, in quo vivimus, movemur et sumus, sine quo nihil possimus; quaecumque honie cogitabo, loquar, agam aut patiar, omnia refero ad gloriam tuem et Domini nostri Jesu Christi.

Unusquisque proponat et disponat singulatım illa, quae hac die sunt agenda, eaque in Deum referat.

Breris pausa.

TEMPUS MEDITATIONIS. (1)

Servetur hic methodus praescripta in Catech. cap. XII. fol. 26.

1°. Unusquisque se constituat in praesentia Dei.

2°. Humiliet se et actum contritionis eliciat.

3°. Gratiam ad bene meditandum imploret.

4°. Finem particularem sibi praefigat. Vide haec supra fol. 27.

5°. Actum Adorationis exerceat sicut docetur fol. 27.

6°. Attente consideret et mente revolvat puncta Meditationis, anteriori vespere praelecta aut quae tunc recitantur et illa sibi applicet reflectendo ad dispositionis suas etc. 28.

7°. Affectus, conformes veritatibus quas consideravit, et reflexionibus quas fecit ad seipsum, devote eliciat; *ibid.*

8°. Quod sibi aut aliis petendum vidit, cordate et fiducialiter petat; fol. 29.

9°. Resolvat in particulari quid agere, quid

---

(1) Benedictus XIV, 16 Decembris 1746, concessit indulgentias plenarias semel quolibet mense lucrandas, etiam applidabiles defunctis, omnibus et singulis, qui *per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horae singulis diebus, per totum mensem, orationi mentali dabunt operam:* modo illo die quo cupiunt lucrari indulgentias plenarias, omnibus consuetis conditionibus satisfaciant; scilicet *vere poenitentes et confessi, SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint ac pro Christianorum Principum concordia etc. pias ad Deum preces fuderint.*

Similiter concedit tales plenarias indulgentias omnibus et singulis, qui in Ecclesiis aut alibi, publice vel privatim, quoscumque homines, orare et meditari docuerint, aut hujusmodi doctrinae interfuerint, insuper singula vice qua id praestiterint concedit indulgentias septem annorum et totidem quadragenarum. Praefert autem Pontifex ille, ut orattio illa mentalis fiat in communi, quia ut dicit ex S. Chrysostomo: „In oratione cum fratribus plus ali- „quid habetur, videlicet concordia, conspiratio, amoris conjunctir „et charitatis clamor felici societate, ex qua orationes iufirmiores „se simul complexae, validiores in coelum evehuntur."

omittere, quid observare, quid fugere, velit. etc. fol. 29.

10°. Deo gratias agat veniam petat de defectibus, punctum de die recogitandum eligat, proposita sua Deo offerat, ea B. M. V. etc. commendet, vide fol. 30.

In fine Meditationis Pater noster.

v. Et ne nos inducas in tentationem.

R. *Sed libera nos à malo.* Ave Maria etc.

Prosequitur sacerdos.

OREMUS.

Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus rex ceeli et terrae, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones et actus nostros, in lege tua, et in operibus mandatorum tuorum: ut hic et in aeternum, te auxiliante salvi et liberi esse mereamur, Salvator Mundi: qui vivus et regnas in saecula saeculorum. R. Amen.

HYMNUS.

Jam lucis orto sidere,
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet à nocentibus.

Linguam refraenans temperet,
Ne litis horror insonet,
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia:
Carnis terat Superbiam
Potus cibique parcitas.

Ut cum dies abscesserit
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. R. Amen.
V. Dignare Domine die isto.
R. *Sine peccato nos custodire.*

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute; ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Per Dominum nostrum etc.

Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Maria Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa et benedicta.

Sancte Michaël Archangele, defende nos ab hostibus.

Sancte Francisce Salesi, sancti NN. Patroni nostri, et omnes Sancti Dei, intercedite pro nobis.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hac die custodi, illumina, rege, guberna. R. Amen.

LITANIAE
SANCTISSIMI NOMINIS.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Jesu audi nos.
Jesu exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Jesu fili Dei vivi,
Jesu Splendor Patris,
Jesu Candor lucis aeternae,
Jesu Rex gloriae,
Jesu Sol justitiae,
Jesu Fili Mariae Virginis,
Jesu Admirabillis,
Jesu Deus fortis,
Jesu Pater futuri saeculi,
Jesu Magni consillii Angele,
Jesu Potentissime,
Jesu Patientissime,
Jesu Obedientissime,
Jesu Mitis et humilis corde,
Jesu Amator castitatis,
Jesu Amor noster,
Jesu Deus pacis,
Jesu Auctor vitae,
Jesu Exemplar Virtutum,

(Miserere nobis.)

Jesu Zelator animarum, miserere nobis.

Jesu

Deus noster,
Refugium nostrum,
Pater pauperum,
Thesaurus fidelium,
Bone Pastor,
Lux vera,
Sapientia aeterna,
Bonitas infinita,
Via et Via nostra,
Gaudium Angelorum,
Magister Apostolorum,
Doctor Evangelistarum,
Fortitudo Martyrum,
Lumen Confessorum,
Puritas Virginum,
Corona Sanctorum omnium,

Miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis Jesu.
Propitius esto, exaudi nos Jesu.
Ab omni peccato, libera nos Jesu.
Ab ira tua libera nos Domine.

Ab insidiis diaboli,
A spiritu fornicationis,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per nativitatem tuam,
Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per Crucem et derelictionem tuam,
Per languores tuos,

Libera nos Domine.

Per mortem et sepulturam tuam, libera nos Domine.
Per resurrectionem tuam, libera nos Domine.
Per ascensionem tuam, libera nos Domine.
Per gaudia tua, libera nos Domine.
Per gloriam tuam, libera nos Domine
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Jesu.

Jesu audi nos. Jesu exaudi nos.
V. Confitebimur tibi Deus.
R. Et invocabimus nomen tuum.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui dixisti: petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis: quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, orde et opere diligamus, et à tua nunquam lauda cessemus. Qui cum Patre et Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. R. Amen.

V. Benedicite. R. Deus.

Dominus nos benedicat, et ab omni malo defendat, et ad vitam perducat aeternam, et Fidelium animae per misericordium Dei requiescant in pace. R. Amen.

Datur Aqua benedicta. Deindé celebratur Missa.

Postea stndium: et observatur silentium usque ad medium octavae.

CAPUT III.

DIRECTIO PRO STUDIO.

Sive distributio materiarum, quibus alumni studere debent per annum.

1°. Singulis annis semel perlegatur tota Scriptura Sacra veteris Testamenti; omitti tamen possunt primis annis *Psalmi*, *Canticum Cantiorum*, *et Prophetae* praeter *Daniëlem et Jonam*. Convenit tamen ut libri mere historici v. g. *Genesis*, *Exodi*, *etc.* bis terve in anno legantur, et quando tempus suscipiendi ordines Sacros adest, etiam legantur Psalmi cum interprete.

2°. Singulis annis ad minus bis perlustrari debet Scriptura Sacra novi Testamenti, et tertio anno cum interprete. *Evangelia et Acta Apostolorum* pluries legere convenit, et utilissime, saltem semel in anno, legentur *Evangelia* in *concordiam* redacta.

3°. Ab initio Cursus Theologici diligentius studebunt illis partibus Scripturae Sacrae quae ipsis explicantur, Textus exponendos ante lectionem legendo, etiam cum interprete, et post eam repetendo quae legerunt et audiverunt, ac in charta annotando.

4°. Singulis annis semel perlegent omnes Alumni universam Theologiam in usum eorum impressam, et alium aliquem probatum auctorem Scholasticum incipiendo post vacantias a Tractatu *de Deo* usque ad finem.

Tractatum *de Matrimonio* primis annis praetermittent, sed Sacerdotes ordinati Tractatum

de Impedimentis saepius pervolvent, quia pleraque sunt positiva; tunc etiam saepius legent Tractatus *de Poenitentia*, *Jure et Justitia*; *et Contractibus, etc.* Merito commendatur Sacerdotibus studium *Aphorismorum Steyaertii*, continentium eximiam et magis exquisitam medullam Theologiae Practicae. Juniores non incipient a Tractatu *De Deo*, sed repetent *Principia Ethices*, eaque conferent cum Tractatu *de Actibus Humanis*. Legent etiam Tractatus *de Virtutibus et de Sacramentis*.

5°. Diligentius omnes studebunt Tractatibus qui explicantur in Lectionibus Scholasticis; ante Lectionem non praetermittent legere ea quae explicanda sunt, et post eam iterum repetere quae audiverunt, et in charta annotare quae magis memoriae commendari debent.

6°. Omnes Tractatus tempore novem primorum mensium percurrere satagent, eo modo quo dictum est, et duobus mensibus reliquis repetent Tractatus magis necessarios, quales reputantur pro junioribus Tractatus *de Actibus Humanis*, *de Virtutibus Theologicis*, *de Religione et de Sacramentis*. Pro illus vero qui jam tertio anno Theologiae incumbent, magis necessarii Tractatus reputantur, *de Peccatis*, *de Circumstantiis*, *de Coöperantibus ad injustitiam*, *de Sacramento Poenitentiae*, *etc.*

CAPUT IV.

Distributio Diei.

1°. Post Preces Matutinas servetur altum silentium, et unisquisque in cubiculo suo repeta Meditationem in Sacello institutam, usque ad horam sextam.

2°. Hora sexta inchoetur studium a lectione S. Scripturae veteris Testamenti, legendo singulis diebus duo vel tria capita usque ad medium septimae.

3°. Medio septimae studeatur Theologiae Scholasticae juxta distributionem supra positam, et quadrante post septimam praevideantur illa quae explicabuntur in lectione proxime secutura.

4°. Post Primam Lectionem fiat repetitio et annotatio ut in Distributione Studiorum n°. 5. Deinde continuteur Studium Theologiae manè inchocatum. Quadrante ante decimam legantur textus Scripturae Sacrae explicandi in Lectione statim secutura, vel si illo die non sit Lectio Scripturae Sacrae, legatur caput ex *Analogia Becani* Hora undecima diligenter frequentent Lectionem Cantus Gregoriani, sicuti etiam a meridie hora prima.

5°. Post meridiem inhoetur studium a Lectione Scripturae Sacrae novi Testamenti, pervolvendo unum vel duo capita. Tertio anno adhibeatur interpres. Hora secunda assumatur libur liber pius et fiat lectio usque ad medium tertiae; libri autem pii quos omnes Alumni habere debent, sunt : *S. Francisci Salesii Intro-*

ductio ad Vitam devotam. Thomas a Kemp, de Imitatione Christi quibus addant *Pugnam Spiritualem, Regulam Cleri, etc.* Media tertiae studebunt Tractatui in Lectione proxime secutura explicando usque ad tertiam.

6°. Hora quarta repetent explicata ut supra et deinceps usque ad quintam studebunt Theologiae Scholasticae.

7°. Hora quinta convenient ad Sacellum, ubi instituentur Exercitia Pietatis, de quibus capite sequenti.

8°. Finitis Laudibus. gnaviter incumbent Studio Theologiae Scholasticae usque ad quadrantem post sextam. Tunc facient recollectionem eorum quae isto die studuerunt, relegendo notas marginales, et seipsos examinando et quasi interrogando, ut videant, an retinuerint quae isto die legerunt.

9°. Diebus veniae servabunt eadem Pietatis Exercitia quae aliis diebus, et tempora Studdii exacte implebunt. Diebus vero Dominicus et Festivis praeter Exercitia Pietatis ordinaria, et illa quae per Leges praescribuntur, addent aliqua supererogatoria, signanter Visitationem SS. Eucharistae in una alterave Ecclesia, et Exercitium aliquod devotionis erga B. M. V. memores nempo quod tenera devotio erga Jesum, Sacerdotem magnum, et Sanctissimam Virginem, quae Cleri Regina, Mater et Proctectrix est, non possit satis commendari Saccerdotibus et quibuscumque Ecclesiasticis.

10°. Ante Studium, in decursu et in fine,

observent quae dicta sunt supra in Catechismo ad Cap. VI. P. 10. et seqq. fol. 14.

11°. Qui tenentur ad Horas Canonicas, debent illas recitare extra tempus Studii, et in quantum fieri potest in Sacello coram Venerabili, scilicet mane finitis Precibus recitent primam Horarum, hora undecima tertiam, sextam et nonam, tempore Laudum hora quinta, Vesperas et Completorium, post coenam vero Matutinum et Laudes sequentis diei.

CAPUT V.

Laudes Vespertinae.

Hora quinta pulsu campana dato inchoantur Laudes Vespertinae quae cantantur hoc ordine:

(1) LITANIAE B. M. V.

Kyrie eleïson, Christe eleïson.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobes.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere etc.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas etc.
Sancta Maria, *ora pro nobis.*
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum, *Ora pro nobis.*
Mater Christi,

---

(1) *Sixtus IV, concessit indulqentias ducentorum dierum omnibus Christe fidelibus, quotiescumque devote legerent Litanias Lauretanus B. V. M.*

Mater divinae gratiae, *ora pro nobis.*
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater creatoris,
Mater salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas Spirituale.
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis Arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,

Ora pro nobis.

Regina Prophetarum, *ora pro nobis.*
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum, *ora pro nobis.*
Regina Confessorum,
Regina Verginum, *ora pro nobis*
Regina Sanctorum omnium,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata, mundi, miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos,

v. Ora pro nobis S. Dei genitrix.
R. *Ut digne efficiamur etc.*

OREMUS.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde: ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur per eumdem Christum etc.

Deinde cantatur Antiphona de Venerabili.

O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus! qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, Pane suavissimo, de coelo praestito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.
v. Panem de coelo praestitisti eis. *Temp. Pasch.* Alleluia.
R. *Omne delectamentum in se habentem. Alleluia.*

OREMUS.

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus,

ita nos corporis et sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vives et regnas eum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus etc.

Tandem cantatur una ex quatuor Antiphonis B. M. V. secundum exigentiam temporis.

A Vesperis Sabbati, anti Dominicam I. Adventûs, usque ad Purificationem inclusivè.

ANTIPHONA.

Alma Redemptoris mater, quae pervia coeli *porta manes et stella maris, succurre cadenti:*
Surgere qui curat, populo: tu quae genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum genitorem,
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore.
Sumens illud Ave, peccotorum miserere.

In Adveutu, v. Angelus Domini nuntavit Mariae.

R. *Et concepit de Spiritu Saneto.*

OREMUS.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde: ut qui, Angelo nuntiante, Christi filii tui incarnationem cognovimus, per Passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur Per eumdem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

A primis Vesperis Nativitatis, et deinceps.

v. Post partum Virgo inviolata permansisti.

R. *Dei genitrix intercedo pro nobis.*

OREMUS.

Deus, qui salutis aeternae, beatae Maria virginitate foecunda, humano generi praemia praes-

titisti: tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum.

R. Amen.

Post Purificationem, id est, a fine completorrii illius dici 2 Februarii inclusies, usque ad feriam quintam in Coena Domini exclusive,

ANTIPHONA.

Ave regina coelorum,
Ave Domina Angelorum:
Salve radix, salve porta,
Ex qua mundo lux est orta:
Gaude virgo gloriosa
Super omnes speciosa;
Vale o valde decora,
Et pro nobis Christum exora.

V. Dignare me laudare te virgo sacrata.

R *Da mihi virtutem contra hostes tuos.*

OREMUS.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium: ut qui sanctae Dei genitricis memoriam agimus, intercessionus ejus auxilio, a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdum Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

A completorio Sabbati sancti usque ad nonam Sabbati post Pentecosten inclusivé.

ANTIPHONA.

Regina coeli laetare, alleluia.
Ora quem meruisti portare, alleluia.

Resurrexit sicut dixit, alleluia.
Ora pro nobis Deum, alleluia.
v. Gaude et laetare Virgo Maria, alleluia.
R. *Quia surrexit Dominus verè, alleluia.*

OREMUS.

Deus, qui per resurrectionem filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es: praesta quaesumus, ut per ejus genitricem virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eumdem Christum Dominum nostrum.
R. Amen.

A primis Vesperis Festi SS. Trinitatis usque ad nonam Sabbatti ante Adventum.

ANTIPHONA.

Salve Regina, Mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostras, salve. Ad te clamanus exules, filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens! o pia! o dulcus virgo Maria!
v. Ora pro nobis sancta Dei genetrix.
R. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae virginis matris Mariae corpus et animam, ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante praeparasti: da, ut cujus commemoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis, et a morte perpetua liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

In fine Laudum pulsatur et recitatur Angelus Domini, etc. *ut supra fol.* 39.

CAPUT VI.

Preces Vespertinae.

Hora octava omnes conveniunt ad Sacellum, et Sacerdos in medio flectens recitat alta voce aliis respondentibus sequentes Preces.

In nomine Patris etc. R. Amen.
Kyrie eleison,
Christe eleison.
Christe audi nos,
Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus,
Miserere nobis.
Fili redemptor etc.
Miserere etc.
Spiritus Sancte etc.
Miserere etc.
Sancta Trinitas unus Deus,
Miserere etc.
Sancta Maria, *ora pro nobis.*
Sancta Dei genitrix,
Sancta virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Ora pro nobis

Mater amabilis, *ora pro nobis.*
Mater admirabilis,
Mater creatoris,
Mater salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Vi.go potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas isigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,

Ora pro nobis.

Regina Sanctorum omnium, *ora pro nobis.*
Regina sine labe concepta. *ora pro nobis.*
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.
V. Ora pro nobis S. Dei genitrix.
R. *Ut digni efficiamur etc.*

OREMUS.

Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius clementer tuere insidiis. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.
Credo in Te, o veritas aeterna.
Spero in Te, o misericordia infinita.
Amo Te, o bonitas divina.

Domine, adauge nobis fidem, confirma spem, perfice charitatem.

Instituatur examen conscientiae.

1o. Petitur lumen ad cognoscendum beneficia accepta et peccata admissa.

2o. Aguntur gratiae pro beneficiis hac die acceptis.

3o. Expenduntur omnes actiones diei, omnia verba, cogitationes, omissiones etc. percurruntur conversationes, studia, loca, negotia, etc. et examinatur: an et quid in illis delictum sit contra Deum, nos ipsos, aut proximos, v. g. an, quandonam et quomodo

legerimus singulas Horas Canonicas, et ita de caeteris.

4o. Vivus excitatur dolur in corde de peccatis admissis, qui continuatur in sequentibus Precibus.

5o. Eliciuntur bona proposita non amplius delinquendi, occasiones et pericula vitandi etc. Media eliguntur ad hoc opportuna etc.

Ad signum D. Superioris.

ACTUS CONTRITIONIS.

Domine Deus, doleo ex integro corde de peccatis commissis, quia per ea te summum Bonum super omnia dilectum offendi; et detestor ea, quia tibi displicent; propono firmiter non peccare de caetero: et ex hoc momento statuo vitare et tollere occasiones omnes, causas et pericula peccatorum; potius vitam et omnia amittere, quam peccatum committere: statuo etiam peccata mea quamprimum confiteri; et in satisfactionem accepto de manu tua omnia adversa, labores et onera.

Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

PSALM. 50.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut

justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta, et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi

Asperges me hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae: et exultabit lingua mea justitiom tuam.

Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus nou despictes.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Sicut erat etc.

OREMUS.

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit etc.
R. Amen.

OREMUS.

Pro necessitatibus publicis et peccatis populi

Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, et plagas, quas accepimus, conferimus.
Si pensamus malum quod fecimus, minus est quod patimur, majus est quod meremur.
Gravius est quod commisimus, levius est quod toleramus.
Peccati poenam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus.
In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, et iniquitas non mutatur.
Mens aegra torquetur, et cervix non flectitur.
Vita in dolore suspirat, et in opere non se emendat.
Si expectas, non corrigimur: si vindicas, non duramus.
Confitemur in correctione quod egimus: obliviscimur post visitationem quod flevimus.
Si extenderis manum, facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non solvimus.
Si ferias, clamamus ut parcas: si peperceris, iterum provocamus ut ferias.

Habes Domine confitentes reos: novimus, quod nisi dimittas, recte nos perimas.

Praesta Pater omnipotens sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

OREMUS.

De profundis clamavi ad te Domine; Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes, in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud cum redemptio.

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

V. Requiem aeternam dona eis Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster.

V. Et ne nos inducas etc.

R. *Sed libera etc.*

V. A porta inferi.

R. *Erue Domine animas eorum.*

V. Requiescant in pace. R. Amen.

v. Domine exaudi orationem meam.
R. *Et clamor meus ad te veniat.*
v. Dominus vobiscum.
R. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus qui nos Patrem et Matrem honorare praecepisti: miserere clementer animabus Parentum et Proävorum nostrorum, eorumque pecata dimitte, nosque eos in acternae claritatis gaudio fac videre.

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peecatorum; ut indulgentiam quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

v. Requiem aeternam dona eis Domine.
R. *Et lux perpetua luceat eis.*
R. Requiescant in pace. R. Amen.

INSTITUATUR.

Examen circa profectum in vita spirituali.

1°. Petatur lumen.
2°. In memoriam reducantur bona proposita mane in Meditatisne facta.
3°. Examinentur occasiones in quibus debuerunt executioni dari, et videatur an et quomodo id factum sit.
4°. Renoventur illa proposita, et petatur gratia ut perfectius possint executioni mandari.

5º. Examinetur an et quomodo pugnaverimus contra vitia et defectus, quibus magis abnoxii sumus.

6º. An et quomodo profecerimus in Virtutibus quae nobis magis desuni.

Ad signum D. Saperioris disit Saverdos.

Pater noster etc. *secreto.*

V. Et nos inducas etc.

R. *Sed libera etc.*

Ave Maria etc.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum Sanctam Ecclesiam Catholiam Sanctorem Communionem. Remissionem peccatorum.

V. Carnis Resurrectionem.

R. Et vitam aeternam. Amen.

HYMNUS.

Te lucis ante terminum
Rerum creator poscimus,
Ut pro tua clementia
Sis praesul et custodia.
Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata

Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Jesu tibi sit gloria,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amea.
V. Dignare Domine nocte ista
R. *Sine peccato nos custodire.*

OREMUS.

Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, que nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Salva nos Domine vigilantss, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo et requiescamus in pace. R. Amen.

Sacerdos osculatur altare et dicit: A subitanea et improvisa mala morte libertet vos, ac benedicat omnipotens Deus, *versus ad Theologos,* Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.

R. Amen.

Datur Aqua Benedicta.

Deinde in medio Sacelli, alta et distincta voce, tractim praelegit puncia Meditationis pro sequenti die.

Postea omnes recedunt ad cubicula servando silentium rigidum.

CAPUT VII.

Exercitia pietatis ante cubitum.

Fundantur haec Exercitia Alummorum in praxi virtutum obedientiae, modestiae et religionis.

1. Virtus obedientiae exigit, ut in silentio ad cubicula sua tendant, neminem admittant, non amplius excurrant, sed necessitates praeveniant, et ante nonam, extincto lumine, lecto decumbant.

2. Modestia, exigit, 1°. ut vestes exuendo summam honestatem servent, si enim sanctus Ephrem de omnibus fidelibus dixerit: *Christianus, etiam cum solus est dum induit aut exuit, seipsum reveretur, sciens quod fas non est ille proprium corpus inspicere,* quidni, et potiori jure id de Ecclesiasticis dicatur?

2°. Exigit etiam Modestia, ut in strato honeste se componant in latere dextro, junctis manibus in modum crucie ante pectus, et ut decenter semper tecti sint, etiam in fervido caloris aestu: nec crebro se vertant, sed quiete cubent, memores Christi in cruce pendentis, et propter angelicae puritatis studium quod aemulari oportet. Ita *Card. Bona.*

III. Virtus Religionis exigit sequentia: 1°. ut vestes exuendo crebris orationibus jaculatoriis utantur et praesentiam Dei conservent, nec non Angeli sui Custodis fideliter eis adstantis; cogitent v. g. denudationem Christi ante Flagellationem et ante Crucifixionem, vel nuditatem animae suae ob virtutum et meritorum inopiam, vel expoliationem ab omnibus rebus in hora mortis

ratum est, ut Pater amet Filium, qui se facie et moribus refert; ut Magister discipulum diligat, qui doctrinam suam diligenter discit, et ardenter propugnat; ut Dux militem in oculis ferat, qui virtutes suas bellicas aemulatur: si itaque Christus te sibi similem viderit, ut Magistro discipulum, ut Duci militem, enimvero diliget te. Alter quispiam ait: o si scirem, quomodo mihi JESUM demercar, et cor ejus ad me rapiam! sis similis JESU et in ejus visceribus habitabis: videat te pauperem, afflictum, et despectum, et fies ut *discipulus, quem diligebat Jesus.* (Joan. 21. v. 20.) Quis vero non magnopere gaudeat, reperta tam pretiosa notitia, invento modo, et quo JESUM amet et redametur a JESU, modo, inquam quo sit amator JESU, ut dicere possit cum Petro: *tu scis quia amo te;* et modo quo ametur a JESU, adeo ut in ipso quoque verum sit: *discipulus quem diligebat Jesus*; ex tantorum bonorum desiderio, quid agendum sit, decernamus.

LECTIO.

Isaï. cap. 7 et 9. *Luc.* cap. 1 et 2. *Matth.* cap. 26. *Thomas a Kemp.* lib. 2. cap.7 et 8.

Rodriguez Part. 2. Tract. 1. cap. 22. et Tract. 3. cap. 18.

QUINTO DIE. MEDITATIO II.

Christus in horto Gethsemani

Ducem nostrum generatim spectavimns; restat

particulatim inspiciendus: cumque in sacra ejus passione majora resplendeant exempla virtutum, tria potissimum, ubi magna pertulit, loca lustrabimus: hortum Gethsemani, Pilati praetorium, montemque Calvariae. In horto Gethsemani expendemus primo Christi tristitiam. Secundo, Orationem. Tertio, Sudorem Sanguinem. Quarto, Comprehensionem.

PUNCTUM I.

Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. (Luc. 22. v. 39.) Solebat Jesus se in montem Olivarum ad orandum recipere: consuetudinem bonam non intermittit, etsi conscius quid sibi isthic immineat. Nullus nos praetextus a laudabili consuetudine retrahat. Eamus et nos *secundum consuetudinem* ad orationem, examen conscientiae, ad pietatis et alia vocationis nostrae opera; non tamen *ex consuetudine*, quae duo magnopere discrepant.

Jesus hortum ingressus *coepit contristari et moestus esse.* (Matth. 26. v. 37.) Quali putas moestitia? Utique mortifera, quemadmodum Discipulis manifestavit: *tristis est anima mea usque ad mortem*, (ibid.) hoc est, interprete S. Augustino, *tanta est tristitia animae meae ut parum absim a morte.* (Apud Cornel. a Lapide) Compatiamur et investigemus modum quo Christo dolenti, quantum in nobis est, solatium afferamus. Praeter instantem passionem, et exiguum, qui ex ea in multis hominum secuturus erat, fructum, tanti in Christo moeroris causa fuere nostra peccata, circa quae tria notabimus; Primo

de quo dolet Salvator? De peccatis, quae tamen sua non sunt. Quanta igitur debet nostra esse tristitia de peccatis, quae ipsi commisimus? Secundo, cur dolet? quia Patrem suum offendunt; sit hoc etiam nostrum ad ea plangenda incitamentum. Tertio, quomodo dolet? Ita ut dolore pene exanimetur: talis sit luctus noster, ut si lacrymas nondum eliciat, ad poenitentiae opera efficaciter nos excitet.

Declarata tristitia sua, dicit Christus discipulis: *sustinete hic, et vigilate mecum.* (Ibid.) Quos aliquando socios gaudii et consolationis habuerat, jam et moestitiae habere vult, docetque nos sibi adhaerere debere, et in suo durare obsequio, non modo quando solatur nos, verum etiam cum nobis aut ariditatem, aut taedia et molestias immitit. Ah nimium quam facile a primo fervore desciscimus, et ad teporem seu pigritiam declinamus!

PUNCTUM II.

Oratio Salvatoris in horto plurimas adjunctas habet circumstantias, insignis ad utilitatem nostram exempli. Primo: *et ipse avulsus est ab eis.* Luc. 22. v. 41. Licet oppressus moerore mortali, Christus se a discipuli suis avellit, ut orationi se dedat: ita et nobis in occurrentibus tot hujus vitae molestiis factitandum est; recurrendum scilicet ad orationem, et non ab hominibus, sed a Deo exquirenda solatia Secundo, *positis genibus* (Luc. 22.) *procidit in faciem suam.* (Matth. 26. v. 39.) Quo corporls situ ostenditur, quanta reverentia Deus orandus sit. Ita a S. Aloysio

qui semper flexis genibus: ita a S. Francisco Borgiae usurpatum erat qui saepe etiam submisso in terram vultu Deo supplicabat. Tertio, orat plena voluntatis suae in paternum beneplacitum resignatione, nou obstante partis inferioris trepidatione: *si non potest hic calix transire a me, nisi bibam illum, fiat voluutas tua.* (Matth. ibid.) Exemplum hoc ad usum nostrum seponamus, cum nos adversa, morbi, atque adeo mors ipsa excipiet; tum siquidem suscipiendus erit calix, quasi nobis a Deo oblatus, atque animo ad ejus arbitrium nutumque converso dicendum: *si non potest transire, fiat voluntas tua.* Discamus praeterea, quomodo exponere debeamus Superioribus nostris difficultates in praecepti executione occurrentes, animo videlicet in neutram partem propendente, et, quidquid illi statuerint, amplexuro: *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (Ibid.) Quarto, orationem pluries interrumpit, ut discipulos intervisat, quasi adumbrans vitam mixtam sedulorum in vinea Domini operariorum: exigit ista hanc vicissitudinem, ut a Deo ad proximum, a proximo rursus ad Deum redeamus: ab oratione ad operam, ab opera ad orationem transeundum; ita recte ex vocationis ecclesiasticae norma vivemus Quinto, cum discipulos dormientes offendisset, increpat: *Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* (ibid.) Vos, qui paulo ante tantam ad mihi commoriendum alacritatem profitebamini! Pudeat nos, quod subinde etiam minori quam unius horae spatio cum Christo persistamus, vel omittendo, vel frustatim et segniter religionis opera exercendo. Sexto, prae-

monet discipulos: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.* (ibid.) Et re ipsa, quia nec orarunt, nec vigilarunt, ingruenti tentationi cesserunt. Timeat qui parum erga orationem afficitur: dies, quam sine hac auspicabitur, fere plena noxis aut defectibus transigetur. Si iners et somnolentus fuerit in hisce, quae jam decurrit, exercitiis, talis erit reliquo anni spatio; nec modo non progredietur, ut par erat, ex bono in melius, sed retrocedet ex malo in pejus, non sine gravi animae suae periculo.

PUNCTUM III.

Extimescens Christus secundum partem inferiorem oblati Calicis amaritudinem, secundum superiorem tantam sibi ad acceptandum vim intulit, ut manaret Sudore Sanguineo: *Et factus est Sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram* Luc. 22. v. 44. O magnam ducis nostris fortitudinem! Nos vero quam nobis ipsis vim facimus, ut naturae nostrae contumaciam frangamus repugnantis obedientiae, labori, sensuum mortificationi? Quidam usque ad sanguinem restitere; ita S. Franciscus Xaverius etiam dormiens: quid vigil fecisset? Vir illustris ex Sacro Capucinorum Ordine tanta vi iram compressit, ut sibi vena creparet in pectore. Dominus noster sudat sanguine, ita praeveniendo, carnifices: scit Patrem sanguinem poscere; non expectat, dum sibi flagellis, spinis, clavis exprimatur; sed sponte effundit. Scimus nos, rem aliquam gratam fore superiori, alia proximum indigere: discamus a Christo illius imperium, hujus petitionem prae-

vertere: discamus insuper usitata quotidianarum observationum, vel functionum nostrarum signa praevenire. Novit etiam Christus, genus humanum sanguine in pretium redemptionis egere et in remedium; utrumque anticipat. O promptissimam charitatem ejus! Huic respondebimus obsequii nostri velocitate; pro me sanguine sudat, non sudabo ego sudore vulgari? Non reddam fatigationem pro agonia? Parum sane est defatigari pro amore ejus, qui pro nobis agoniam subiit. Orabo sudantem Jesum, ut terram cordis mei irriget, ut germinet in actus virtutum et sancta proposita

PUNCTUM IV.

Domino cum morte luctanti et perfuso sudore sanguineo *apparuit... Angelus de coelo confortans eum*, Lucae 22; qua coelesti visitatione recreatus erigit se, ad decurrendum Passionis suae stadium expeditus. Cur autem ad orationem confugerat? Ut mortis metum, quo pars inferior tenebatur, vinceret, ut se paternae dispositioni permitteret, ut voluntatis ejus decreta amplecteretur: atque ecce vicit timorem, obtulit se ad aeterni Patris voluntatem implendam, ab apparente Angelo roboratus est; hinc surgit et inimicis obviam procedit, quibus, se, JESUM NAZARENUM declarat: *quem quaeritis ego sum* (Joan. 18. v. 5), et se comprehendi vincirique permittit: ita ex oratione intentum fructum colligit, et sine mora exequitur. Nos vero cur haec aggressi sumus Exercitia spiritualia? Nempe ad retundenda cupiditatum nostrarum lenocinia, ad extirpanda

vitia, ad corrigendas actiones nostras, ad instituendum novis animis iter salutis et perfectionis. Desideratum fructum hauserimus, si Exercitiis illis defungamur victores, emendati accensi. Tales nos sane efficere debent meditatae hactenus veritates; accingamus nos itaque, ut Christum comitemur; ipse ad passionem suam, nos ad nostram: ille ad calicem suum exhauriendum, nos ad nostrum; hac ratione optimus erit Exercitiorum exitus.

LECTIO.

Thomas a Kemp. lib. 2. cap. 11. et lib. 4. cap 8. *Rodriguez* Part. 2. Tract. 7. cap. 3 et 4.

SEXTO DIE. MEDITATIO I.

Christus in Domo Pilati.

Jesus in horto comprehensus ducitur ad Annam, Caïpham, Pilatum et Herodem; hinc rursus ad Pilati Praetorium ubi in hac Meditatione subsistemus, ut CHRISTUM contemplemur. Primo, Barabbae postpositum. Secundo, ad columnam flagellatum. Tertio, spinis coronatum. Quarto, Judaeis exhibitum et condemnatum.

PUNCTUM I.

Considera, quomodò JESUS *cum Barabba* componatur, dicente Pilato: *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam au* JESUM? Matth. 27. v. 17. Grandis injuria innocenti JESU illata, dnm hic

scelerato Barabbae confertur; sed in immensum gravior est JESUM prae Barabba sausa cadere, Barabbam vincere, omnibus a Barabba stantibus, nullo a JESU; *Tolle hunc et dimitte nobis Barabbam.* Luc. 23. v. 18. Etiam hoc factum ad utilitatem tuam reservandum, cum accidet ut parvi fias, ut alter tibi praeferatur ratione loci, muneris, potioris receptionis, aut cujusvis dignationis; ut concurrente altero ad idem praestandum obsequium, gratior sit hujus opera quam tua; tunc in memoriam revocandum erit JESUM Barabbae fuisse posthabitum. Praeterea si ad cordis tui tribunal Christus et res aliqua temporalis in collatione veniant, cave ne prae hac illum abjudices, quod profecto fieret, si tibi potius quam ipsi satisfactum velles, si commodum, si honorem tuum ipsius desiderio anieferres. Videns S. Dorotheus discipulum suum Dositheum erga cultellum quempiam plusculum affici, ait: *Vis esse gladioli servus an* JESU CHRISTI? Tu cui servire vis? Amori proprio, an CHRISTI? Quieti tuae, an ejus nutui? Hominum plausui, an ejus gloriae? Cui? Luxui, an frugalitati Clericali? His aut illis deliciis Ecclesiastico statui et cruci CHRISTI repugnantibus, an CHRISTO?

PUNCTUM II.

Considera, quomodo Christus alligatus columnae, *flagelletur.* Immane dedecus publice nudari et damnari infami supplicio: sed his attentionem ad Christi dolorem praecipue convertamus. Acerba fuit flagellatio sive flagellantes, sive flagellatum, sive inusta flagella, sive flagellationis instru-

menta spectemus: flagellantes, rabidi carnifices usque ad tricena (ut traditur) paria: instrumenta, virgae spinosae. nervi aut funes aculeati, catenae uncinatae: inusta flagella ad plura fortassis millia: flagellatus, tenerrimo corporo Quod uomen tali flagellationi aptabimus? Caedis, carnificinae, lanienae? Contemplemur Dominum non tam caesum et percussum quam excarficatum, laceratum, cuto et carne cxutum, unde depluit sanguineus imber. Refert *S. Augustinus* (Serm. de Pass.) quemdam patientis Jesu miseratione motum (objurgatis tortoribus, *Numquid interficitis non judicatum?*) secuisse funes, quibus Christus columnae adstringebatur, unde hic in sanguinis lacum provolutus est. Si in horto vidimus madidum sudore sanguineo, jam columnae adstratam cernimus in proprio cruore natantem. Excitemus in nobis affectus, quos exigit tam innocentia et charitas Jesu, quam malitia nostra, et ingrati animi crimen; affectus, inquam, commiserationis, compunctionis cordis et amoris. Discamus insuper spiritum mortificationis, et statuamus Apostoli consilium exequi: *Semper mortificationem* Jesu *in corpore nostro circumferentes*. 2. Cor. 4. v. 10. Si sanguinem pro sanguine dare nequimus, demus saltem quod possumus; si ardua poenitentiae opera offerre non possumus, offeramus leviora. Videamus praesertim an in nobis sint naevi aut maculae adversantes vitae Ecclesiasticae et honestati Clericorum; an defectus intemperantiae, aut indecentiae in usu cibi, potus et somni, an segnitiae, an fugae laboris et incommodi, atque haec universa vitia, quasi in fascem colligata, feramus

instar tributi ad pedes flagellati JESU; imitemur S. Lucam Evangelistam, de quo ait Ecclesia: *Crucis mortificationem jugiter in suo corpore portavit.* Efficax ad imitationem stimulus erit frequens usus Panis Eucharistici; cibi siquidem qualitates suas cum vescente communicant: non nisi vitio nostro fiet, si caro flagellati JESU nobis non imprimat spiritum mortificationis, desiderium patiendi.

PUNCTUM III.

Considera, quomodo CHRISTUS *coronetur spinis* magno suo dolore, ingentique probro et contumelia. Quantus dolor, terebrari caput septuaginta duabus spinis, quot numerat *S. Vincentius Ferrerius.* Si unica spina digitum figit, quam molesta est! Quid erit de JESU ob tot acutissimas spinas perforantes caput, partem adeo dolore facilem et delicatam? Condoleamus; et ornemus nos Christianae tolerantiae spinis, ut dignam Christo cohortem formemus: *Non decet enim*, ut Bernardus admonet, *sub capite spinoso membrum esse dilicatum* Quemadmodum in flagellatione Christi praecipue dolorem et cruciatum expendimus, ut disceremus spiritum *mortificationis*, ita in coronatione ponderandum imprimis erit grande ejus *dedecus* ut *humilitatis* Spiritum consequamur. O quale probrum Deo gloriae et Domino majestatis, quod prae horrore daemones ipsos tremefaciat! Injecta dorso purpurea lacinia, infixa vertici corona spinea, inditum manui arundinis frustum, Ei, qui vere est *Rex Regum, et Dominus Dominantium.* Neque his contenti sa-

crilegi milites, infligunt alapas, sputis inquinant, percutiunt arundine, et ad ludibrium Regem salutant. Igitur sicut in superiori puncto ad conspectum JESU flagellati decrevimus *semper mortificationem* JESU *in corpore nostro* circumferre, ita nunc ad spectaculum coronati JESU, statuamus semper humiliationem ejus in corde nostro portare, hoc est imitationem JESU tam prodigiose humiliati. Et, si supra collegimus vitia mortificationi adversantia, ut tali tributo flagellatum JESUM allevaremus; colligamus hic defectus humilitati contrarios: dispiciamus an in nobis sit inanis gloriae cupiditas, an humanae laudis appetitus, an popularis aurae consectatio, an despectorum officiorum aversatio, an respectus humani, an pravus timor, an pertinacia judicii, an ex parva nostri aestimatione doloris sensus, vel indignatio etc. et horum omnium acervum deponamus tanquam vectigal, honorarium, aut trophaeum ante pedes JESU corona spinea redimiti. NOTEMUS: Derisores CHRISTUM pro nihilo putant, et tanquam regem jocularem habent; nos eum verum regem agnoscamus, et solum omni dignum honore et gloria *Soli Deo honor et gloria;* 1. Tim. 1. v. 17. et in agnitiouem supremi ejus Dominii et nostrae erga eum servitutis afferamus ad pedes ejus quidquid in nobis est superbiae aut vanitatis, volentes ut illi soli sit omnis gloria, omnis honor; *nobis autem confusio faciei*, Dan. 9. v. 7. atque contemptus.

PUNCTUM IV.

Considera, quomodo Christus a Praeside Pilato

semel atque iterum Judaeis *exhibeatur.* Ait hic prima vice: *Ecce Homo,* quasi ad excitandum commiserationem dicere velit: videte an vel species hominis in eo supersit, ita deformatus, ita humanus in eo vultus pene expunctus est. Imaginemur aeternum Patrem, qui de Filio suo dixerat primo in Jordane, dein in monte Thabor: *Hic est Filius meus;* nunc de eodem ex Pilati Praetorio his nos verbis affari: *Ecce Homo,* ecce homo Deus, quem vobis Ducem dedi in via virtutis. Miramini patientiam; in tot tormentis et contumeliis ne os quidem aperit. Quanta fortitudo! Tot ac tanta patitur indefessus et ad plura toleranda promptissimus. Quanta charitas! Prodigit sanguinem in ingratorum hominum salutem. *Ecce Homo,* o quam egregie tribus sociis suis stipatus paupertate, dolore atque contemptu! Vile panni frnstum in dorso, quanta paupertas! A vertice ad pedes non nisi vulnus est, quantus dolor! Ludificatur ut Rex scenicus, factus *opprobrium howinum et abjectio plebis,* Ps. 21. quantus contemptus!

Sedens Pilatus pro tribunali, et Judaeis CHRISTUM iterato demonstrans, inquit: *Ecce Rex vester.* Joan. 19. v. 24. Judaei Regem repudiant, et palam edicunt: *Non habemus Regem nisi Caesarem.* (ibid.) Nos eum unicum et legitimum Regem nostrum salutemus, profitentes verbis S. Bernardi: *Non habemus Regem nisi Dominum* JESUM-CHRISTUM (Hom. 3 super Miss. est) et in hujus professionis testimonium, provoluti ad pedes ejus, ratum habeamus duplex tributum, quod ei supra obtulimus, mortificationis unum, humi-

liationis alterum, imitantes S. Joannem a Cruce, optare et orare solitum *Domine, pro te pati et contemni.*

Instantibus Judaeis condemnationi CHRISTI, cessit tandem Pilatus et crucis eum supplicio damnavit, *Tunc tradinit eis illum, ut crucifigeretur* Joan. 19. v. 16 Iniqua fuit sententia, quia contra insontem et ut talem agnitum prolata; crudelis fuit, quia ab ipsis ejus hostibus exequenda; acerba fuit et ignominiosa, ratione ipsius supplicii, nihilominus a CHRISTO accepta, non tam ut ab iniquo judice pronunciata, quam ut ab aeterno Patre saancte profecta, juxta quod superiore nocte dixerat: *Calicem quem dedit mihi Pater*, Joan. 18. v. 11, et sine mora humeros cruci subjecit. Discamus in coelum suspicere, cum nobis adversa accidunt, undecunque tandem accidant; *Dominus est*, qui nos crucibus illis onerat. Comitemur JESUM crucem portantem, et quasi vexillum erigentem, sub quo eum sequi debemus, affecti pariter dolore et probro.

LECTIO.

Isaiae cap. 53. *Matth.* 27. *Luc.* 23. *Joan.* 18 et 19.

Thomas a Kemp. lib 2. cap. 12.

Rodriguez Part. 2. Tract. 7. cap. 5 et 6.

SEXTO DIE. MEDITATIO II.

Jesus in monte Calvariae.

In monte Calvariae, ultimo Divinae Passionis termino, consideranda sunt: Primo, Crucifixo JESU. Secundo, Trium horarum agonia. Tertio, Septem verba. Quarto, Mors.

PUNCTUM I.

JESU CHRISTUS *cruci affigitur*. Cum ad montem Calvariae pervenisset, spoliatur vestibus; cogita quanto dolore atque dedecore. Strata humi cruce, imperant, ut huic se aptet Paret, ac manus pedesque porrigit, in voce carnificum paternam cognoscens, nobisque documentum praebens, quomodo in obediendi occasionibus gerere nos oporteat. Attende crucifixioni: manus, ut ferunt 28, pedes 36 mallei ictibns configuntur. O quae Domini tui laceratio! Animadverte in hac et rivos sanguinis, et attractos nervos, et ossa luxata, et vividum in toto corpore cruciatuum sensum: lege in vultu JESU immensum dolorem, quem patitur, in sudore frontis, in caligatione oculorum, livescentibus labiis, in asperso genis pallore mortali. Compatere JESU, compatere MARIAE, cujus tenerrimum cor singulos clavorum pulsus velut echo repercutit. Redde tu hisce totidem percussiones pectoris, imo potius cordis.... Adora et osculare plagas singulas amore tui apertas. Vide porro ac mirare Crucifixi patientiam, et de tam crebris impatientiae tuae motibus erubesce. Notanda hic verba Apostoli: *Qui dilexit me, et*

tradidit semetipsum pro me. Galat. 2. v. 20. Redemptor noster sacrificium offert. Crux ara est, victima simul et Sacerdos Christus ipse, qui cum cruci affigeretur, se aeterno Patri in salutem tuam offerebat. Ut digne tali sacrificio responderes, opus esset maryrio. *Haec sola retributio digna, pro sanguine retribuere sanguinem,* dixit S. Hieronymus in Ps. 115. Fecit autem S. Virgo Pomposa, quae, concepto, ex meditata passione Domini, ardenti desiderio pro sanguine sanguimen rependendi, vitam pro vita, se Cordubae Christianorum persecutori stitit, cujus, manu optati martyrii palmam optinuit. (19 Septembris) Ait quispiam: cur et ego persecutionis tempore natus non sum! cur et mihi non licuit venire in partem vel securis vel restis! Bono sis animo, et age Deo gratias de beneficio vocationis, quae tibi potestatem facit supplendi cruentum incruento martyrio. Sacrum vitae genus, quod elegisti, tibi pro cruce est; obligationes statui tuo annexae quasi totidem clavi sunt, quibus confixus es. Ratam habe Ecclesiasticae vitae susceptionem, et alacriter te submitte oneribus vocationi tuae propriis: adige denuo clavos illos amplis et intensis actibus voluntatis ad onera illa subeunda promptissimae; eritque hostiam pro hostia, crucifixionem pro crucifixione reponere; utque sacrificium tuum acceptius sit et ad reddendam vicem efficacius, fac ut in Meditatione praecedente: collige defectus, si quos habes Ecclesiasticae disciplinae contrarios, eosque velut pietatis tuae tributum, affer ad pedes Domini crucifixi.

PUNCTUH II.

Christus in cruce cum morte luctatur. Crucifixione peracta, ad populi conspectum erigitur, spectaculum lacrymabile. Quid agunt inimici ejus? Doloribus Crucifixi illudunt: *super dolorem vulnerum meorum addideruut.* Psalm. 68. v. 27. Quid piae Mulieres? Miserentur et plorant. Quid coelum? Involvit se tenebris; mox terra contremit, velum templi laceratur, petrae sceinduntur. Quid vero nos aggredimur ad reparandum quoquomodo inimicorum barbaram temeritatem, ad pietatem bonarum Mulierum aemulandam, ut ne in luctu vincamur à creaturis sensus expertibus?.... Christus in ea lethali luctu ad tres horas vitam in cruce producit. O quomodo terni ejus comites, paupertas, dolor et contemptus, hic apicem attigerunt! paupertas summa est; neque enim solum nudus est, sed et facultas adempta de vestibus suis statuendi, utpote à militibus usurpartis; dolor summus est, vere siquidem dicere potest cum Jerem. Thren. 1 v. 12. *Attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus,* pendet nimirum e ferali trabe, simul sentiens cruciatus flagellorum, spinarum atque clavorum, nec ullam partem sanam habens in sacratissimo corpore: sed et contemptus major esse non potest; moritur siquidem probosa morte, in ignominioso patibulo, sannis et blasphemiis appetitns, ac tandem ad vituperii cumulum duos inter latrones collocatus (*medium autem* JESUM. Joan. 19. v. 19.) NOTEMUS: Christus, licet doloro obruatur, licet per ludibrium provocetnr: *si filius Dei es, descende de cruce,* Matth 27.

nihilominus perstat in cruce usque ad mortem: ita et nobis factitandum est; permanendum scilicet adversus quamcumque molestiam, non modo in nostri instituti cruce usque ad mortem, sed et in aliis crucibus legum vel consuetudinum nobis servandarum, laborum ex obedientia vel charitate susceptorum, usque ad absolutam partium nostrarum executionem.

PUNCTUM III.

JESUS CHRISTUS *è cruce loquitur.* Septem ejus verba trifariam partiri possumus. Pars prima, tria priora continens, ad utilitatem proximi ordinatur. Primum verbum: *Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.* Luc. 23. v. 24. Orat JESUS pro crucifigentibus se: exemplum sane non sine magno lucro nostro imitandum, excusando, ignoscendo, bonum pro malo reddendo, juxta istud: *dimittite et dimittemini.* Luc. 6. v. 37. Secundum verbum: *hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. v. 43. Bono latroni Paradisi gloriam pollicetur: tu qui nuuc mecum in cruce es et me palam confiteris Dominum gloriae; tu qui honorem meum vindicas, et objurgas impium et blasphemantem socium; tu qui aequo animo mortem admittis ut criminibus tuis debitam; tu. inquam, hodie mecum eris in Paradiso. Etiam mors nostra pretiosa erit in conspectu Dei, si ex ea Sacrificium fecerimus poenitentiae, resignationis, et amoris; si nos in cruce nostra invenerit fidos imitatores JESU crucifixi. Tertium verbum: *ecce filius tuus: ecce mater tua.* Joan.

19. v 26. Discipulum assignat Mariae in filium, discipulo Mariam in matrem. Haec et nobis omnibus mater data est: dispiciamus an nos erga eam geramus ut filios, quae res adeo magni ad salutem nostram momenti est, ut sine illa periclitemur: unde juvenis quidam B Virgini mire addictus aiebat: *ego non sum securus, nisi habeam verum et filialem affectum erga B. Virginem.*

Secunda pars complectitur duo verba sequentia, quartum et quintum, quibus Christus duplicem, quem sentiebat, occultum cruciatum manifestat: ariditatem internam et externam; derelictionem in animo, sitim in corpore Quartum verbum: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. v. 46. In tot ac tantis cruciatibus corporis, eo spiritus solamine destituitur, quod sui olim martyres experturi erant. Si accidat, ut sine cujusquam commiseratione patiamur, ut in necessitatibus nostris deseramur, meminerimus derelicti Jesu. Quintum: *Sitio.* Joan 19. v. 28. Praeter sitim corporis. quae profecto maxima fuit in moribundo Domino, ob tam copiosi sanguinis effusionem, nec inutiliter ad memoriam revocanda in aestu vel febris vel temporis; fuit et altera in ipso sitis, hoc est, ardentissimum desiderium humanae salutis. Si quam proxime sequi Christum decrevimus, haec etiam nostra sitis esse debet; ut de nobis singulis verum fiat, quod de Seraphico suo Patriarcha scribit S. Bonaventura: *sitiebat cum Christo multitudinem salvandorum.* Figuremus animo, Dominum hoc spiritualium Exercitiorum tempore ad nos dicere: *sitio*; fili, sitio emendationem tuam, sitio tuum in virtute

progressum: nos ut hanc ejus sitim restinguamus, paremus ei jucundum poculum, et lacrymarum quibus superioris vitae errata deflevimus; et bonorum propositorum, quae ad impigram vitae nostrae emendationem concepimus.

Tertia pars duo ultima verba comprehendit, iis proprie congruentia, quibus pretiosa mors obtingit. Sextum verbum: *consummatum est.* Joan. 19. v. 30. Opus quod mihi erat impositum, executus sum; feci et passus fui quidquid erat injunctum, ut Patri meo obedirem. Felix, cui in morte licebit fidenter dicere, se cursum consummasse, negotiatum esse talentis suis, et omnia vocationis suae munia implevisse. Septimum verbum: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* (Luc. 24. v. 46.) Id ipsum pari fiducia dicere poterit, qui Deum ut Patrem habuerit, honorem ei, obsequium et amorem, quem Parenti optimo Filii debent, exhibens. Beata sors animae ad manus illas revertentis, unde exivit, quae quem habuit existendi principium, eumdem habitura est aeternae quietis terminum.

PUNCTUM IV.

Jesus Christus *expirat in cruce.* En quo se Charitas Divina porrexit, ut Christus moreretur pro nobis. *Quoniam Christus pro nobis mortuus est.* (Rom. 5. v. 8.) Quid pro nimio illo amore reddemus? Moritur Christus caput inclinans: *inclinato capite tradidit spiritum*, (Joan. 19. v. 30); idque in obedientiae suae significationem: *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* (Phil. 2. v. 8.) At si Christus obtemperat usque

ad vitae jacturam, usque ad mortem in cruce, recusabo ego muneris mei legibus parere usque ad quietis et sommodi mei dispendium? Usque ad laborem et fatigationem? Siccine vero dignus JESU socius efficcrer?.... *Inclinato capite:* reponamus exemplum istud in eventum mortis, ut nos pariter eam submisso ad Dei nutum capite acceptemus, ut Deo obediamus, qui mortis in nos decretum tulit. Mortuo JESU exclamavit Centurio: *vere Filius Dei erat iste.* (Matth. 27. v. 54). Confiteamur nos, eum esse omnium virtutum exemplar, quod aeternus Pater nobis imitandum proposuit. *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* (Exod. 25 v. 40.) Omnino enim ad primum oculorum in crucem conjectum offerunt se exempla et paupertatis in nudo corpore, et obedientiae in demisso capite, et orationis in lacrymosis oculis, et patientiae in ore tacente, et humilitatis in infami crucis patibulo, et mortificationis in totius corporis suggillatione plagisque, et charitatis in expansis brachiis, denique perseverantiae in aperto latere. Hinc assuescamus habere semper penes nos crucifixi imagiuem, cumque hanc solam in pectore gesturi simus moribundi et mortui, portemus nunc eamdem in corde, amantes imitantesque prototypum, quod repraesentat.

LECTIO.

Thomas a Kemp. lib. 3. cap. 18. et 56.
Rodriguez Part. 2. Tract. 7. cap. 7 et 8.

SEPTIMO DIE MEDITATIO I.

Jesus Christus gloriosus.

In hac et seqnenti Meditatione proponuntur incitament SPEI; ob quae Ducem Christum ad finis nostri adeptionem sequamur. Quatuor in Christo glorioso pensanda sunt: 1°. Resurrectio. 2°. Commoratio in terris. 3°. Ascensus ad coelum. 4°. Regnum.

PUNCTUM I.

Christus resurgit... Quem nuper vidimus mortifero moerore oppressum et madidum sudore sanguineo in horto Gethsemani: flagellis discerptum et spinis terebratum in Pilati Praetorio; crucifixum et mortuum in monte Calvariae, en magna gloria redivivum. In anima nulla ultra tristitia, nullus livor in corpore; laeta jam omnia, speciosa omnia; qui erat mortuus, jam vivit; qui cinctus erat irrisoribus, jam Sanctorum corona circumdatur. O quam magnifice aeternus Pater ei comitatum mutavit, substituens paupertati coelestes opes, doloribus purissima gaudia, contemptui et vituperio laudem et adorationem! Gratulemur redivivo Christo et nobis addamus antmos, quia si patientem imitati fuerimus, postea glorioso assimilabimur. Adverte: quando Christus passionem suam praenuntiabat, mox etiam reditum ad vitam praedicebat: *Tradunt eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum, et tertia die resurget.* Matth. 20. v. 18. Haec erat figura seu symbolum vicissitndinis,

quam olim sectatores Christi experirentur. Talis Ecclesiasticus erit vir orationi deditus et afflictationi corporis, disciplinae et officiorum omnium servantissimus, strenuus in Vinea Dei operarius, et animarum lucro intentus haec prima pars: hinc vitam pretioso fine concludet, et ad meritorum praemium evolabit; haec altera pars. Cujuspiam Sancti vitam legenti occurrit primo *caput* de spontanea castigatione corporis, dein alterum de refraenatione affectuum, rursus aliud de conjunctione cum Deo, de charitatis operibus, atque ita porro; denique offert se *caput* de sancta morte et de Sancti gloria miraculis manifestata. Sic est. Christus a passione et morte resurgit ad vitam et gaudia, et qui inhaerent Christi vestigiis, post labores et aerumnas donantur mercede et gloria, ut notat Ecclesia in S. Francisco Assisinate: *Franciscus pauper et humilis, Coelum dives ingreditur, hymnis coelestibus honoratur.* Animose crucem feramus cum Christo, et speremus bene, nam *si sustinebimus et conregnabimus.* (Tim. 2. v. 12.)

PUNCTUM II.

Redivivus Christus conservatur in terris XL. diebus, usque dum in coelos ascendat Apposite hic Doctor Angelicus: *Per 40 dies, tempus praesentis saeculi, quo Christus in Ecclesia conservatur, potest intelligi.* (3. p. q. 57. art. 1.) Brevi illo paucorum dierum spatio versabutur in terris conspicuus, quamquam nec semper nec omnibus: jam Ecclesia habitat invisibilis, in Divino Altaris Sacramento reconditus, juxta illud: *Ecce ego*

vobiscum sum omnibus diebus usque ad ad consummationem saeculi. Matth. 21. v. 20. Quid vero priori illo tempore spectabat Christus Apostolos suos intervisens? Spectabat duo: eos videlicet et sibi efficere bonos, et aliis; studebat illis rerum mundanarum fastidium et amorem coelestium inspiare; ad Magistri imitationem stimulare discipulos; cumque destinarentur ad circumferendam per universum orbem Evangelii lucem, cupiebat in ipsis accendere ardens Divini honoris et salutis animarum studium: hinc eos velut Novitios erudiebat, et ad ministerium Apostolicum informabat *per dies* 40 *apparens eis et loquens de Regn Dei.* Act 1. v. 4. At quid jam intendit Christus toties in pane Eucharistico nos invisens? Nos, inquam, vi status nostri vocatos ad imitandem Apostolos, primos JESU sectatores? Intendit duo ista quae superius dicta sunt, bonos nos efficere et nobis ipsis et proximis: intendit scilicet nobiscum Spiritum suum communicare, formam vitae suae animis nostris imprimere, inflammare ad exemplorum suorum imitationem, facere homines novos et coelestes; insuper propugnatores gloriae suae, nostrae atque alienae salutis percupidos, id quod status nostri summa atque compendium est. Jam quisque se consulat: an ego ex tam frequenti Angelici cibi usu redeo cum desiderio sequendi Christum? . Procurandi meam et proximorum salutem? Qui sibi illud deesse sentit, sciscitetur ex se causam; quam procul dubio non aliam esse deprehendet, quam praeparationis defectum in accessu ad Christum, affectus in acceptatione, attentionis in agendo

cum Christo intra se recepto; et ante omnia defectum cognitionis et considerationis: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?* (Joan. 14. v. 9.) Atque hoc sane mirabile: si enim se Christus oculis tuis oblaturus esset spectabilem, ut quondam se offerebat Apostolis, totus esses in exspectatione tanti hospitis; visitatus rapi te sineres amabilitate ejus; praeberes tui et rerum tuarum oblata amplissima: quid non faceres? Nonne vera is ipse est, qui ad te venit licet sub sacrarum Specierum velo reconditus?

PUNCTUM III.

Christus ascendit in coelum, sed prius reprehendit Apostolos de cordis in credendo duritie, post tot eis exhibita Resurrectionis suae testimonia Sic enimvero reprehendi mereretur, qui post tot veritates in hoc Exercitiorum otio bene cognitas, nondum in animum suum induceret: saluti suae et perfectioni sibi gnaviter studendum esse. Cum se Christus ex monte Olivarum in sublime efferret, reliquit impressa monti Sacra vestigia, quasi diceret: si eo, quo ego tendo, vultis pertingere, vestigiis meis insistite. Ascendit: comitemur nobilissimum triumphum festiva acclamatione: *Rex in aeternam vive!* (Dan. 6. v. 6.) supplicemus ei, ut in nobis confirmet bona vota seu benedictionem impertitam Apostolis, ut ex Regni sui Solio nostri meminerit: *Memento mei cum veneris in Regnum tuum.* Luc 23. v. 42. Ascendit: En quod Christi imitatoribus accidit; dimissa terra ad coelum conscendere. Plures Sancti mox a morte visi sunt eo transire,

ut S. Paulus primus Eremita, S. Benedictus Abbas, S. Petrus de Alcantara, S. Ignatius Societatis JESU Institutor, atque alii non pauci. O beatam sortem in ictu oculi terram commutare cum coelo! Estque omnino privilegium hujus temporis, quod lege gratiae continetur, posse statim a morte evadere ad coelestem patriam, nobis omnibus a Redemptore reseratam. Quis autem ex tam praeclarae sortis desiderio, non accendatur ad premenda magno fervore Christi vestigia? Ascendit: nondum quidem sequi licet; at volumusne nos itineri illi accingere, ut cum vocaverit, expedite sequamur? Faciamus quod de homine justo scribitur: *Ascensiones in corde suo disposuit.* Ps. 83. v. 6. Ascendamus interim sincera intentione placendi Deo in operationibus nostris, studio progrediendi de virtute in virtutem de una perfectione in aliam, amando et consectando, *quae sursum sunt, non quae super terram;* sic fiet, *ut qui Redemptorem nostrum ad coelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in coelestibus habitemus.* Oratio Ecclesiae in Festo Ascensionis.

PUNCTUM IV.

JESUS CHRISTUS *regnat in coelis. Sedet a dextris Dei*, qui usque ad defatigationem cucurrit; *a dextris Dei*, qui medius inter latrones pependit; in Solio Gloriae adoratur ab Angelis, qui paulo ante in patibulo carnificum conviciis proscindebatur. En quam in Christo verum sit: *Qui se humiliaverit, exaltabitur.* Matth. 23. v. 12. Christus dictus ab Isaia cap. 35. v. 3. *Novissimus virorum*, ob immensa, quae toleravit opprobria, in coelo

primus est. Reputemus hic sedulo verba Christi, Matth 19. v. 30. perquam efficacia ad nos in animi demissione et reverentia erga quemlibet continendos: *Multi erunt primi, novissimi: et novissimi primi.* Multi qui in terra erant primi, erunt in coelo ultimi; et qui hic ultimi, illic primi. O quot illic trones eminebunt super veteranos, idiotae et illitterati supra Professores et Academicis honoribus insignitos, infimi de Clero supra Canonicos et Graduatos; et generatim quot Pauperes antecellent Divitibus, Plebeï Nobilibus, Subditi Regibus, aut Principibus, nullius gradus aut nominis Sacerdotes Antistibus et Pontificibus?.. *Cujus regni non erit finis*: Passio finem habuit, Regnum habiturum est nunquam. Agnoscamus in Christo regnante futuram nostram beatitudinem: finietur labor et molestia, quies nunquam; finietur aliquando humilitatio, finem nunquam accipiet exaltatio. Brevi tempore patiemur, aeternum gaudebimus.

LECTIO.

Matth. 28. *Luc* 24. *Joan.* 20.
Thom. a Kemp. lib. 3. cap. 16 et 47.
Rodriguez Part. 1. Tract. 8. cap. 20 et 21.

SEPTIMO DIE MEDITATIO II.

De Paradiso.

HAEC Meditatio innititur verbis Sancti Augustini: *Ibi erit quidquid voles, et non erit quid-*

quid noles. (Solil 35.) Paradisus videlicet locus puri boni, omnis boni, aeterni boni.

PUNCTUM I.

Considera, Paradisum esse locum *puri boni* sive nullius mali. Quemadmodum inferorum poenis addictus discedit cum maledictione, *discedite maledicti*, quia abit in locum puri mali seu nullius boni: ita in coeli gloriam vocatus, accedit cum benedictione, *venite benedicti*, quia in locum recipitur puri boni seu nullius mali. Si in terra locus existeret, ubi dies semper forent sereni, tranquilli, aequabiles, sine nebulis, sine nubibus, sine ventis: ubi tempestates anni semper decurrerent verna amoenitatis temperatae, sine immoderato calore vel frigore; in quem nunquam penetrarent bella, annonae caritas, aegritudo animi vel corporis; ubi incolae non haberent quod metuerunt vel caverent, ubi nnnquam senescerent aut morerentur; quivis eo transferre cuperet domicilium: atqui hic locus, qui nusquam in terra est, tamen terra superior est, diciturque *Paradisus*, locus puri boni, nullius mali. Legitur Deus in Apocalypsi abstersurus *omnem lacrymam ab oculis* electorum suorum, ubi eos in coelum accipiet; et jure, quia illic nihil erit luctuosum; non mors, non morbus, non molestia, non panperies, non incommodum, denique nullum malum. *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* (c. 21. v. 4.) Sinceritas bonorum coelestium a S. Augustinus ita describitur: *Sanitas sine languore, gaudium sine moerore,*

requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate. (Man. c. 7.) O amabile coelum! Locus puri boni sine admistione mali. Hinc solabimur hujus vitae mala et incommoda, quae secum affert virtutis exercitium, memores, horum omnium nullum futurum in coelo. Imitemur viatorem. Hic offendens imparata hospitia, vias lutosas, montes arduos, torrentes tumidos, patienter fert, et ad solatium reputat, se patria et domo receptum, fore extra omne incommodum.

PUNCTUM II.

Considera, Paradisum esse locum *omnis boni ;* non tantum excludit omne malum, sed includit omne bonum; est enim *status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Hic vere mortales non gaudent omni bono, etiam de his bonis loquendo, quae in hac vita haberi possunt. Qui dives est, nobilis non est; qui nobilis, non est potens; qui potens, sanus non est; qni sanus est, doctrina caret etc. At vero in coelo bona omnia sunt, et bouis omnibus beatus quisque potietur. Cuncta bona coelestia revocari possunt ad quinque praecipua capita, scilicet : 1°. Ad ipsam coeli empyrei habitationem. 2°. Ad societatem Beatorum. 3°. Ad perspicuam rerum omnium creatarum cognitionem. 4°. Ad gloriam corporis. 5°. Ad gloriam animae. *Nota* : Sicut in hoc mundo magni fit : 1°. Habitatio commoda, ampla, ornata, salubris, amoena, rebus omnibus affluens. 2° Degere in urbe populosa, agere cum hominibus ad mores optimos

institutis, convivere necessitudine conjunctis et amicis ad ingenium factis. 3°. Scientia eorum praesertim quae digniora scitu vel magis recondita sunt. 4°. Corpus sanum et elegans. 5°. Animus praeditus memoria, ingenio et aptitudlne ad omnia: ita agendo de his, quae hic hominem naturaliter beant, sunt in coelo quinque illa bonorum genera paulo supra recensita, quae hominem beatum constituent. Hinc bonorum hujus mundi penuriam leviter feremus. Et 1°. si quando, ut non raro fit, obtingat habitatio inamoena vel incommoda: 2°. si agendum cum hominibus morosis aut tetricis, si cum incultis, agrestibus, vel ingratis; si impendenda ministeria pauperibus infirmis, aut carcere inclusis: 3°. si ob occurrens impedimentum fieri nequit satis legendi vel sciendi aviditati: 4°. et 5°. si male a corpore vel animo valeamus, si alteruti vel utrique non bene a natura comparatum sit: alacriter omnia patiamur, memores, defectus omnes in coelo, ubi omne bonum est, affatim suppletum iri.

PUNCTUM III.

Considera, Paradisum locum esse *Summi boni.* Si quis in hac vita bonis omnibus abundaret, quibus hic potiri licet, si dives, nobilis, potens, sanus, doctus etc. foret, necdum felicitas ejus *summum bonum* dicenda esset, quia videlicet necessario conflaretur ex bonis caducis et imperfectis; talia enim hujus vitae propria sunt: at in coelo non ita, ubi quodlibet bonum, summum bonum est; omne siquidem et grande et eminens et in sua specie absolutum est. *Oculus non vidit,*

nec auris audivit, nec iu cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum. 2. Cor. 2. 9. Habitatio omnem habitationem superat. Et quae tandem proportio Palatiorum, Porticuum et Villarum nostrarum ad coelum empyreum? Societas omnem societatem vincit: componitur siquidem ex Beatis civibus majestate, dignitate, vultu decoro conspicuis, ad humanitatem excultissimis, comibus, affabilibus, arctissimo amicitiae vinculo conjunctis. Scientia excedit omnem scientiam, utpote ampla, clara, falli nescia; non ut nostra, limitata, confusa, errori obnoxia. Gloria sive corporis sive animae mundanam immane quantum supergreditur; quam magna corporis gloria, praeditum esse patiendi impotentia, claritate, agilitate, subtilitate! Quam magna animae. Deum non per nebulam aut caliginem, sed facie ad faciem intueri, intuendo amare, amando frui gaudio inexplicabili! Hinc fluxe hujus vitae bona discemus contemnere, et S. Ignatii sensa mutuabimur: *Heu, quam sordet tellus, cum coelum aspicio!* Si haec terra, attenta mole, instar puncti est respectu coeli aspectabilis, quid erit, si ex pretio aestimetur et cum coelo oculis nostris impervio confvratur? Verum unde accidit, ut quis tanti faciat et tanta sollicitudine conquirat bona praesentia? Quia nimirum non ea valet oculorum acie qua S. Ignatius; quia se ad coeli contemplationem non subvehit. Imitemur (in re excellentiori) invitatos convivas, qui se tantisper cibo fraudant, ut dein meliori et delicatiori indulgeant: imponamus nobis a bonis terrenis abstinentiam, allecti saturitate, quam a

coelestibus expectamus: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Ps. 18. v. 15.

PUNCTUM IV.

Considera, Paradisum esse locum *aeterni boni*: Ex hac aeternitate perficitur, imo fit Paradisus, quod ut intelligas, sic argue: Si cui ad decies centena annorum millia coeli beatitudo decreta foret; ut hoc tempus sane longum sit, is tamen non careret inquietudine animi, secum reputans, exacto hoc annorum spatio, finem fore suae felicitatis: igitur ex aeternitate Beatitudo completur; nam et Beatus gaudebit, et summa tranquilitate ac quiete gaudebit, quia se semper gavisurum certus est. Atque hinc magnum habet solatium moriendi necessitas: veniet siquidem aliquando dies, cum anima et corpus indissolubili nexu jungentur, quando *mors ultra non erit*, sed semper vita, vita constans, interminata, perpetua; ex qua cogitatione sumemus animos, ad omnem, quae in divino famulatu occurrit, molestiam superandam, ruminando saepius verba, qnibus S. Franciscus fratres suos ad patientiam hortabatur, *modica passio, gloria infinita*: breve tolerandi tempus, perenne gaudendi.

Ex meditatis hactenus Paradisi dotibus collige, nos non modo infelices fore, si eum penitus amitteremus, ut qui ad inferna mittuntur; verum etiam si ad tempus perderemus, ut qui igni purgantur, vel si ei majori gloriae portione excideremus, quae diligentiori virtutis studio acquiri potuisset; quam jacturam faciunt segnes et tepidi, qui majora aggregare merita neglexerunt. Quod

attinet ad Paradisi jacturam temporalem, ita eum perdere noluit Eustachius Abbas, qui facta sibi a Deo optione patiendi in hac vita vel leviter 40 diebus, vel graviter 30. et ita residuas culpas expiandi, praetulit graviorum 30. dierum cruciatum, ut sibi diebus decem coelestem beatitudinem acceleraret. (Surius 29. Matt.) Quantum vero ad damnum amplioris, quae obtineri poterat, gloriae, non est leve, tota siquidem aeternitate mansurum; nisi forte leve sit, posse quempiam, dum vivit, gaudere mille scutis annuis, et cogi vitam tolerare centenis; posse, inquam, semper frui gloria mille graduum, et per inertiam suam ad aeternam conditionem redigi centenorum. Utamur fida trutina, et ad eam pensemus hinc damnum, inde lucrum; damnum in coelo, lucrum ex negligentia. Quid cui praestat? Statuamus totis viribus conniti, non tantnm ut coelesti patria potiamur, sed ut cito et largo gloriae censu ditati potiamur.

LECTIO.

Thom. a Kemp. lib. 3. cap. 48 et 49.
Rodriguez Part. 2. Tract. 1. cap. 20 et 21.

OCTAVO DIE MEDITATIO I.

De divinis beneficiis.

Ut finis nostri adeptioni intenderemus, quaedam ex superioribus Meditationibus nobis stimulos addidere timoris, aliae imitationis, aliae etiam

spei; haec, quam habemus prae manibus, ad finem prosequendum nos Amore, seu grata divinorum beneficiorum recordatione alliciet. Expendemus scilicet quis erga nos Deus sit tamquam auctor naturae, gratiae, gloriae, et unionis hypostaticae, ut statuamus ei vicem reddere exemplo Sponsae canentis: *dilectns meus mihi, et ego illi.* (Cant. 2. v. 16.)

PUNCTUM I.

Considera, quis sit Deus erga te tamquam auctor *naturae*. Hic attendenda erunt naturalis ordinis beneficia: et 1o. Quidem beneficium *creationis:* Deus nimirum te ad imaginem suam condidit, animam tibi largiendo nobilissimis facultatibus praeditam, et corpus ornatum necessariis sensibus. 2o. Beneficium *conservationis* tuae, quae continuae creationi aequivalet; si enim Deus unico momento te tibi permitteret, hoc ipso relabereris in nihilum. 3o. Beneficium creationis et conservationis *universi mundi* in utilitatem tuam: tibi creati et conservati coeli; tibi sol, luna, stellae, tibi terra et elementa reliqua; tibi herbae et frumenta; tibi arbores et animalia. 4°. Beneficium *divini concursus* ad operationis tuas naturales intelligendi, videndi, audiendi, loquendi, scribendi, laborandi, incedendi etc. sine quo operationes illae non existerent, et similis esses trunco inanimo. 5°. Beneficium divini concursus ad caeterarum *creaturarum operationes* in obsequium tuum: ita Deus utilitati tuae intentus coelos circumagit, coelestibus corporibus lucem et splendorem af-

fundit, pluvias e nubibus exprimit, facit ut venti spirent, ignis calefaciat, refocillet aer, aqua foecundet, terra fructificet: concurrit cum cibis ut nutriant, cum medicamentis ut sanent, cum vestibus ut operiant, cum lecto ut lassa membra confoveat. Odore te vegetat, sapore delectat, colorum varietate recreat, concentus suavitate delinit. Continue Deo vivendum, si hic conmodis tuis invigilat: tota illa tua substans tia in ejus contiuue impendenda servitium, quam continue ab illo accipis. Honorandus Dei concursus ad operationes tum tuas, tum creaturarum in rem tuam; totum, quantus est, ad ejus gloriam referendo, nec nmquam ad ejus injuriam abuteudo. *Dilectus meus mihi, et ego illi.*

PUNCTUM II.

Considera, quis sit Deus erga te, tanquam *auctor gratiae.* Hic in considerationem veniunt beneficia supernaturalia, quae Deus in salutem tuam et perfectionem direxit. 1°. Beneficium *redemptionis*, quod innumera comprehendit; Redemptoris adventum cum iis omnibus, quae pro te in terris et fecit et passus est. 2°. Beneficium *Religionis Catholicae*; natum esse tempore Legis Gratiae, Parentibus Catholicis, in sinu Romanae Ecclesiae, et a teneris unguiculis Christiana fide eruditum. 3°. Bencficium *sanctificationis:* percepisse te per Baptismum sanctificantem gratiam, quae est quaedam naturae Divinae communicatio; et cum hac habitus infusos Virtutum Theologicarum et moralium, abditis insuper donis Spiritus Sancti, qua ratione ex mancipio daemonis et filio irae,

factus es Dei amicus, filius, haeres, cohaeres autem Christi. 4°. Beneficium *cumuli bonorum* Ecclesia ad utilitatem tuam existentium, quibus ante gavisus es, et porro gaudere pergis; qualia sunt Sacramenta, incruentum Altaris Sacrificium, Indulgentiarum thesaurus, communio bonorum operum, Scripturae Canonicae, libri SS. Patrum et Doctorum Ecclesiae, diviui Verbi praedicatio, exempla justorum tam mortuorum quam vivorum Angelorum custodia, Sanctorum Patrocinium cum praepotenti Reginae SS. omnium tutela, Pastorum regimen, directio Patrum spiritualium etc. 5°. Beneficium *conversionis* si ad vitia declinabas; et conservationis ab inferno, si eo damnari merebaris. 6°. Beneficium *vocationis* ad Statum Ecclesiasticum, et forte etiam Sacerdotalem. 7°. Beneficium *gratiarum actualium* praevenientium et subsequentium, tot luminum quibus mens illustrata, et tot bonarum inspirationum, quibus voluntas excitata est; tot denique auxiliorum tam internorum, quam externorum ad pie sancteque vivendum. 8°. Beneficium conservationis in *habituali* gratia: Deum te in amicitia sua retinuisse, in bona sibi famulandi voluntate, defendisse a gravibus culpis, dedisse hactenus in bono perseverantiam. O abyssum gratiarum et misericordiarum quas tibi Deus ad salutem tuam et sanctitatem impendit! Felicitas omnium maxima, quae cuiquam mortalium possit obtingere! prorumpes in actus admirationis, laudis, gratiarum actionis et amoris; lugebis ingratitudinem et negligentiam tuam, quod tot benefactis non responderis, quod ex iis parum aut nihil pro-

feceris. Statues denique par pari referre. *Dilectus meus mihi et ego illi.*

PUNCTUM III.

Considera, quis sit Deus erga te tanquam *auctor gloriae:* ipse remunerator est omni remuneratore longe potior; ut qui tibi praeparavit in proemium purum bonum, omne bonum, summum bonum, aeternum bonum, imo vero se ipsum. Principes terreni munerantur subditos torque aureo, censu annuo, fundo aut feudo, rebus a se non modo distinctis, verum etiam divisis ac separatis; Deus e contrario praeter tot alia bona extra se posita habitationem coeli, Beatorum sodalitium, rerum creatarum notitiam, gloriam corporis, largitur in proemium totum se, ope visionis, amoris et gaudii beatifici possidendum, in quo sita est animae gloria, gloria primaria et essentialis beatorum civium: hinc vivunt vita Dei, beantur beatitudine Dei, assimulantur Deo, et quasi transformantur in Deum juxta Psal. 81. v. 1. *Deus stetit in synagoga Deorüm*, hoc est, explicante S. Gregorio Nazianzeno, *beatorum hominum*; erunt scilicet totidem Dii per similitudinem *similes ei erimus, quoniam videbimus eum secuti est* (1 Joan. 3.) O beneficentiam munificentissimi Domini mei! O felicitatem ex possessione Dei per gloriam! Quid igitur decernam? Cum Deus totus meus velit esse in patria, volo ego totus ejus esse in via: illic vult ipse idem esse quod ego: hic ego idem esse volo quod ipse, non volendo nisi quod vult ipse, et ipsius placita in actionum mearum regulam assumendo. *Dilectus meus mihi et ego illi.*

PUNCTUM IV.

Considera, quis sit Deus erga te tamquam *auctor unionis hypostaticae*, hoc est, quis sit Deus erga te in Incarnato Verbo, in Homine Deo, de quo S. Ecclesia in uno Hymnornm suorum ita canit: *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in praemium.* Salvator igitur 1°. *se nascens dedit socium*, nempe peregrinationis meae: *Post haec in terris visus est et cum hominibus conservatus est.* (Baruch. 3. v. 38.) docendo et suadendo et suadendo verbis, trahendo exemplis. 2°. *Convescens in edulium*, quando inter sacra ultimae Coenae Solemnia cibus meus in Eucharistia factus est, quo pastus non ei modo conjungar, sed convertar et transmuter in ipsum, ut alimentum transit in substantiam aliti: stupenda sane excellentia charitatis ipsius! 3°. *Se moriens in presium* salutis meae; opus erat solutione pretii, ut a peccati servitute redimerer; ecce Hic pretium meum factus est; lytrum, quod causa mea repraesentavit, sunt actiones ejus, labores, dolores, sanguis et vita. 4°. *Se regnans dat in praemium*, exhibendo mihi Divinitatem suam et manifestando humanitatem, quae et ipsa quoddam est objectum beatitudinis, licet secundariae et accidentalis. S. Augustinus, *Deus* inquit *factus est homo, ut uterque sensus hominis in ipso beatificaretur, et reficeretur oculus cordis in ejus Divinitate et oculus corporis in ejus Humanitate.* (Man. cap. 26.) Et erit enim vero Beato grandis consolatio, cernere gloriosam Christi Humanitatem, ex cujus spectandae desiderio S. Paulus suspirabat, *desi-*

derium habens dissolvi et esse cum Christo. (Phil. 1. v. 23.) Dilectissime Salvator, qui factus es ex praesepio socius, cibus ex coenaculo, pretium ex cruce, proemium in coelo, quomodo tibi amando respondeo? Si S. Catharina Genuensis aiebat: *Non sum amplius mei-ipsius; seu vivam, seu moriar, tota Redemptoris mei sum;* tantumdem mihi dicendum est: non sum amplius meiipsius neque amoris proprii, sed sum JESU et amoris JESU: Hic tot modis factus est meus, volo ego pariter ipsius esse omni modo mihi possibili; volo ut me habeat humilem, mansuetum, obedientem, mortificatum, orationis, observantiae, zeli, denique virtutis studiosum. *Dilectus meus mihi et ego illi.*

LECTIO.

Deuteron. cap. 20. 1. *Cor.* cap. 13.
Thom. a Kemp. lib. 3. cap. 10 et 34.
Rodriguez, Part. 1 Tract. 3 c. 13 et 14.

OCTAVO DIE MEDITATIO II.

De amore Dei.

PRIMARIUS Exercitiorum, in quae hactenus operam contulimus, scopus est, nos Deo perfecta charitate conjungere; cujus quaternae dimensiones *latitudo et longitudo et sublimitas et profundum.* (Ephes. v. 18.) distinguent quatuor hujus Meditationis articulos. Sit amor noster in Deum

amplitudine latus, duratione longus, elatione sublimis, intensione profundus: ita Divinae erga nos charitati utcumque assimilabitur.

PUNCTUM I.

Considera in quo posita sit *latitudo* nostri in Deum amoris: sita est in ampla sui explicatione sine circumscriptione, in capacissimo complexu sine contractione vel augustia, juxta S. Bernardi effatum: *modus diligendi Deum est diligere sine modo;* (Tract. de dilig. Deo) adeo ut amatur Deus *ex toto corde*, *ex tota anima*, *ex tota mente*, *ex tota virtute*, (Marc. 12. v. 10.) mancipando nimirum Dei obsequio facultates animae et membra corporis: cupiditates et sensus; libertatem et sanitatem; vires, ingenium et doctrinam; talenta dotes, praerogativas, totum denique se et omnia sua, ita ut omnes cogitationes, affectus consilia, verba, opera, labores omnes, et aerumnae sistant in Dei delectamento et gloria. Erit latitudo amoris, Deo se offere ex animo in holocaustum perfectum, dicendo cum S. Ignatio, in contemplatione de divino amore: *suscipe*, *Domine*, *universam meam libertatem Accipe memoriam*, *intellectum atque voluntatem. Quidquid habeo vel possideo*, *mihi largitus es: id tibi totum restituo; ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum: amorem tui solum cum gratia tua mihi dones. ei dives sum satis*, *nec aliud quidquam ultra posco.* Erit latitudo amoris se Dei voluntati omnino permittere, orando ex intimo cordis affectu ut solebat Ludovicus de Ponte: *fiat Domine in me*, *ae me*, *per me*, *circa me et circa omnia mea*, *tua sanc-*

tissima voluntas, nunc et semper, et in aeternum, Amen. Erit denique latitudo amoris, si exuat se quisque, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferas. Atque ea ratione Deum amabat Esther Regina, ut quae fidenter dicere poterat, se ab ascensu suo in solium, alia nulla re delectatum esse quam solo Deo, quod nnnquam vel Regii Conjugis benevolentia, vel summa subtitorum studia, vel magnificus aulae splendor, vel immensae, quibus circumfluebat, opes, partem amoris sui surripuissent. *Tu scis, quod nunquam laetata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, usque in praesentem diem, nisi in te Domino Deus.* (Ester 14, v. 18.) Ita quoque Deum amabat S. Francis Salesius scribens de se in hunc sensum : *si tenuem in me, instar minutissimi capilli, affectum deprehenderem, qui vel a Deo non manaret, vel in eum non referretur, actutum evellerem.* Ut talem in nobis excitemus amorem, ponderandum est quam late, quam effuse nos Deus dilexerit, ut auctor et naturae, et gratiae et gloriae et nnionis hypostaticae, quemadmodem expendimus in Meditatione de Divinis Benificiis. O latitudo divini erga nos amoris, qui non modo amat nos impertiendo nobis umiversi orbis usuram, omnia naturae bona et commoda, sed praeterea totum se, essentiam sum, attributa, persona; qui dignatus est esse Creator noster, Redemptor Sanctificator, Glorificator etc. Quis talem amatorem largissimo amore non redamet?

PUNCTUM II.

Considera, quid sit cum *longitudine* sive duratione Deum amare: est amorem ejus sine interruptione continuare, sin minus actu et explicate, at certe habitu et virtute. *Omni vita tua dilige Deum*, est monitum Ecclesiastici (cap. 13 v. 18.) *Omni vita*, hoc est, omni aetate, puerili, juvenili, virili et senili. *Omni vita*: omni tempore, omnibus annis, mensibus, hebdomadis, diebus, horis omnibus et momentis. *Omni vita*, in omni vitae casu: sanitatis et morbi, sortis prosperae et adversae, solatii et ariditatis, quietis et tentationis. *Omni vita*, in omni rerum vicissitudine: orando et studendo, ambulando et sedende, laborando et feriando, delendo et laetando, vigilando et dormiendo, Jusserat Deus Levit. 6. v. 12. *Ignis..... in altari semper ardebit;* atque en figuram continui nostri in Deum amoris a S. Gregorio Papa notatum (Moral. I. 25 cap. 7.) *altare Dei est cor nostrum*, *ex quo necesse est ad Dominum caritatis flammam indesinenter ascendere.* Hinc duplex in nobis affectus excitari debet, alter respectu praeteriti, alter respectu futuri: quod ad primum attinet, si nos in amando Deo tardos fuisse cognoscimus, socordiam nostram deplorabimus cum poenitente Augustimo (Solil. 31.) *Sero te amavi pulchritudo tam antiqua et tam nova*; *sero te amavi! vae tempori illi*, *quando non te amavi!* Quod ad futurum spectat, offeremus nos Deo, ut eum amemus amore longo, amore continuo, ad quod stimulabimur divini erga nos amoris exemplo; amoris adeo longi, ut nec principium habeat nec finem, ut citra et ultra aeternus sit.

Deus itaque ab omni aeternitate amavit nos, decernens ante omnia tempora ut definito tempore existeremus, et copiosa largitatis suae dona perciperemus, quibus si non evadamus indigni, amorem suum consummabit in aeternum, vocans nos in partem suae ipsius beatitudinis sine fine mansurae: *misericordia Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum.* (Psalm. 102. v. 17.) O Domini amorem longissimum, cui nimis quam breviter hactenus respondi! Si redamare infeliciter distuli, dabo operam imposterum, ne ex residuo, quo victurus sum tempore, ulla mihi elabatur particula amoris vacua.

PUNCTUM III.

Considera, in quo sita sit *altitudo* seu sublimatas divini amoris; consistit in amando Deo *super omnia*; ubi triplex gradus apte distinguitur Prior est, quamcumque jacturam, quodlibet malum lethali Dei offensae anteferre. Secundus, utrumque etiam peccato veniali praeponere. Tertius denique, quidvis malle perdere et perferre quam minus Deo placere, sive, nihil velle nisi quod ex majori Dei gloria esse intelligimus. Primus gradus est praecepti graviter obligantis; alter leviter obligantis; tertius praecepti non est, sed consilii. Primi gradus exemplum habemus in natu minimo Machabaeo, quando Regii favoris, honorum et divitiarum, quae spondebantur, damnum, imo atrox martyrium, quali jam sex fratres sui in eadem causa praeiverant, Divinae Legis violationi praetulit. (2. Machab. 7.) Secundi gradus

exercitio praeluxerunt varii servi Dei, qui fecere votum, illudque per plures annos ad mortem usque observarunt, nunquam deliberate levem culpam committendi. In usu tertii gradus excelluit praeter alios S. Theresia, quae *arduum votum emisit, efficiendi semper quidquid perfectius esse intelligeret.* (Brev. Rom.) Ut Deum sublimi amore super res omnes prosequamur, non in iis tantum quae praecepti sunt, sed etiam quae consilii (quantum Deo dante poterimus) provocabit nos sublimis amor, quo nos ipse praevenit: amavit nos scilicet super omnem creaturum visibilem, formans nos ad imaginem et similitudinem suam: amavit super Angelos, assumendo non Angelum, sed hominem ad humani generis reparationem: imo vero amavit super ipsam JESU CHRISTI dilecti Filii sui vitam, quem pro salute nostra cruci affigendum tradidit: amavit denique super omnem expectationem, largiens nobis dona excellentissima, adoptans nos pro filiis et haeredibus, volens ipsemet esse, quemadmodum cibus noster et pignus in terra, ita in coelesti regno nostra perennis haereditas. O ineffabilis Divini erga nos amoris subtilitas! aequum profecto est, ut altissime illum super omnia diligamus, qui tam sublimi nos amore complexus est.

PUNCTUM IV.

Considera, quae sit *profunditas* sive intensio nostri in Deum amoris: haec in duobus consistit; in puritate et fortitudine, in amando Deum pure et fortiter: amor noster purus erit, si nullam propriae utilitatis rationem habeat, si sit be-

nevolus, qui nos ad amandum Deum excitat propter summan et infinitam ejus bonitatem, omni posthabito privato commodo. Idem amor fortis erit, si nulla difficultate terrebitur; sed omnem, ut Deo placeat, superare paratus sit: *in omnibus superamus propter eum, qui dilexit me.* (Rom. 8. 37.) Atque hic triplex fortitudinis gradus attendendus est juxta triplicem difficultatem quae occurrit vel in agendo vel patiendo ardua, vel in utroque perseverando. Primus gradus est, ut non sit amor verbotenus, sed facto; ut sit amor operans tota virium et virtutis intensione: *non diligamus verbo, neque lin/ua, sed opere et veritale.* (1. Joan. 3. v. 18.) Alter fortitudinis gradus est, ut sit amor patiens, tolerando alacriter in anima et corpore, in fama et honore, in facultatibus, in conjunctis, sanguine vel amicitia etc. Tertius gradus est, ut sit amor constans, sive qui perseveret usque ad mortem tam operando, quam tolerando. Ad hos tres gradus revocat S. Bernardus bonae vitae sive divini servitii institutum: *bonam vitam puto, mala pati et bona facere, et sic perseverare usque ad mortem.* Ut amor noster in Deum profundus sit, sive purus et fortis omni modo jam indicato, expendemus quanta puritate et fortitudine nos Deus amaverit: Amavit pure sine utilitatis suae respectu, ex sola nobis benefaciendi propensione: qua enim in re egere poterat opera nostra, qui in se ditissimus et se ipso contentus erat ac plane beatus? Etiam fortissima fuit ejus dilectio, amando nos *cum adhuc peccatores essemus* (Rom. 5. v. 8.) adeo non amore digni, ut potius odio et abomina-

tione... Si oculos ad triplicem fortitudinis gradum supra expositum retorqueamus, quam operans, patiens et constans fuit amor JESU tota vita sua mortali jam inde ab ipsa sui conceptione usque ad mortem! o Domine nostri amantissime ita per divinam tuam gratiam dilatetur, continuetur, exaltetur et intendatur amor noster, ut undequaque et super omnia diligaris! Sic oramus, sic vovemus verbis Ecclesia: *accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae charitatis! Amen.* Missale Rom.

LECTIO.

Thom. à Kemp. lib. 3. cap. 5 et 21.
Rodriguez Part. 1. Tract. 8. cap. 32. 33 et Part. 2. Tract. 1. cap. 19.

Postridie Exercitiorum Meditatio Unica.

Exercitiorum fructus seu novae vitae institutio.

Quemadmodum prima Meditatio nos ad capessenda magno animo Spiritus Exercitia comparavit; ita haec ultima incitabit ad vitam nostram illis in posterum exaequandam. Innitetur etiam haec commentatio quatuor divinae Scripturae sententiis.

PUNCTUM I.

In *meditatione mea exardescet ignis.* (Ps. 38. v. 4.) Proponam mihi ob oculos praeteritas Me-

ditationes, et dispiciam, qualem vitam ex earum norma instituere debeam. Spectatis Meditationibus unius et alterius finis, vivendum mihi est in perpetua sollicitudine tuendae salutis et perfectionis meae promovendae: ideo enim et creatus sum et vocatus ad Statum Ecclesiasticum. Si Meditationes inspiciam abolendis peccatis, et segnitiae in virtutum studio exuendae praescriptas, continuo mihi et ne peccem et ne defervescam invigilandum video. Si eas recolam, quae novissima depingunt, vivendum mihi est in jugi praeparatione ad mortem, ut mihi justorum et ferventium pretiosa contingat, quae mihi clementis judicii fiduciam tribuat, inferorum poenis subducat, et Purgatorium vel omnino a me avertat, vel saltem intra breve temporis spatium contrahat. Attentis Meditationibus de Christo Duce et patiente, allaborandum est, ut ejus mores iduam, et patientiam aemuler. Quae Christi et Paradisi gloriam describunt, acuunt animum ad beatam aeternitatem consequendam. Meditationes denique quae Divina in nos beneficia et amorem commemorant, potenter hortantur, ut tam largo benefactori et nobilissimo amatori vicem reddam. Hujusmodi mihi deinceps vita instituenda est; statuam vires omnes expromere, ut talis evadat, et eo fine bona proposita, quae ante concepi, iterum, iterumque firmabo.

Celebris quidam Dei servus tres habebat sibi familiares litteras, quae ei piae Meditationis materiam subministrabant; videlicet nigram, rubram et albam: *Nigra* denotabat propria peccata; *Rubra* cruciatus CHRISTI; *Alba* Paradisi

gloriam. Ad ternas hasce litteras supradictae Meditationis facile revocantur: ad nigram, Meditationes facile revocantur: ad nigram, Meditationes de peccatis, torpore animi, et novissimis. Ad rubram, Meditationes de Christo. Ad albam, Meditationes de aeterna gloria, de Dei erga nos beneficiss et amore. Meditationes de fine sunt instar chartae, cui triplex ea littera impressa est, quandoquidem caeterae omnes referuntur ad finis adeptionem tanquam motiva et stimuli vel timoris, vel imitationis, vel spei, vel amoris. Observa, si quando in anni decursu pii quidpiam meditari lubeat, (et utinam saepe imo quotidie lubeat!) nec alia Meditationis puncta in promptu sint, utilem fore trium illarum litterarum recordationem, ut cum amaritudine animi peccata revolvas, cum tenera pietate crucifixi dolores, et cum voluptate bona coelestia.

PUNCTUM II.

Omni cui multum datum est, multum quaeretur ab eo: (Luc. 12. v. 48.) ab eo nimirum, qui plura accepit, plurium Deus rationem reposcet. Mihi me praesentem sistam, et recogitabo; si ego Exercitiis hisce defunctus fuero sine ullo animae emolumento qua via me Deo excusabo? Excusatio, si qua foret, ea esset, quod notitia aut potestas defuerit, qnod necessaria defecerint, ut nossem et possem proficere. Prima excusatione uti non potero: Quid enim? Non finem meum agnovi? Monstrosam peccati faciem, nauseosam teporis, horribilem novissimorum? Ducem Jesum ejusque exempla? Æternum praemium?

multitudinem et magnitudinem beneficiorum Dei? ejus in me amorem? .... Sed nec altera usui erit excusatio: nam quid mihi internae aut externae opis defuit? Nonne Divina vox cordi meo saepe insonuit? Non me Deus gratiae suae stimulis concussit? Quot in intellectu illustrationes? Quot in voluntate inspirationes? Externi adjutorii nihil etiam defuit. Nonne enim tempus ab omni alia occupatione et interpellatione vacuum habui? Bona aliorum exempla? Efficacissima Meditationum puncta? Pios libros, quos legerem? Modos faciles vitae mea errata investigandi? Supererit itaque solum ut fatear, noluisse me: at si noverin et potuerim. nec tamen voluerim, habebo sane quod mihi metuam. Ah *vae tibi Corozaïn! vae tibi Bethzaïda!* (Matth. 11.) Vae mihi Ecclesiastico! Quot mundani, si ejusmodi otium nacti forent, accensi fuissent ad generosa melioris et sanctae vitae proposita! Ego vero aeque tepidus et remissus sim! Ne tantulum quidem in via salutis et perfectionis progressus! Nullum susceperim mutandae vitae consilium! Talis sim in Exercitiorum termino, qualis eram initio! Denique cum nossem et possem, noluerim! Domine. *absit a me* tanti pudoris et justi timoris materia: per Divinam tuam gratiam novi et possum: per eandem etiam volo.

PUNCTUM III.

Tempus non erit amplius. (Apoc c. 10. v. 6.) In prima Meditatione expendimus verba Apostoli: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc*

dies salutis. In hac ponderabimus Angeli pronuntiatum apud S. Joannem in Apocalypsi jurantis: *Tempus non erit amplius;* caveat proinde cui clapsum fuisset inutiliter pretiosum Exercitiorum tempus, tempus gratiae et salutis, caveat ne adversum se locum habeat terribile dictum: *Tempus non erit amplius.* Caveat ne haec fuerint postrema Exercitia, adminiculum ultimum, quo Deus usus sit, ut ei socordiam et torporem excutiat; ac praeterea succurrat memoriae: *Curavimus Babylonem, et non est sanata; derelinquamus eam.* (Jerem. 51. v. 9.) Medicus post adhibita incassum aegroto remedia, relinquit pro deplorato. Ita plane dicere videntur Divinae Personae, vel Angeli Tutelares, vel sancti Patroni, hac in parte Personarum Divinarum Ministri: curavimus hanc animam negligentem et torpidam, non est sanata, nihilo melior effecta est, profecit nihil; talis est in fine, qualis erat initio; igitur relinquamus eam amori suo proprio, cupiditatum suarum dominatui: ne ultra ei impendantur selecta gratiae adjutoria, speciales favores: cum ex virtute in virtutem progredi nolit, eat de errore in errorem, de peccato in peccatum usque ad jacturam perseverantiae atque adeo salutis aeternae. Si quis se comminationibus illis percelli sentiat, ne desperet; adhuc tempus est; colligat protinus totum spiritus sui vigorem, totum impetum cordis, et apud se, quod par est, constituat; atque haec exercitia bona voluntate concludens omnibus precibus petat: *Domine Deus custodi in aeternum hanc*

voluntatem cordis mei, et semper in venerationem tui mens ista permaneat 1 Paral. 29. v. 18.

PUNCTUM IV.

Resistite fortes in fide. 1. Petr. 5. v. 8. In via virtutis non desunt difficultates. Fraenandae passiones, respectus humani contemnendi, tot agenda patiendaque dura et amori proprio molesta remorantur quam plurimos; sed eja! terriculamenta omnia fidei scuto, et attentae frequentisque considerationis praesidio dissipemus.... Recogitemus itaque, quae tandem illae difficultates sint, si eas opponamus sequentibus stimulis sive incitamentis ad fervorem, maxima parte sparsis in superiorum Meditationum decursu; suntque: Primo, Dei majestas, quae ob excellentiam suam et supremum Dominum infinito servitio digna est. Secundo, Vita Redemptoris nostri, qui tot tantaque amore nostri fecit et passus est a conceptione sua usque ad mortem. Tertio, Sempiterna coeli Gloria in meritorum proemium repromissa. Quarto, poena, tam inferni perpetua, quam temporaria Purgatorii, in ultionem mali intentata. Quinto, innumera peccata nostra, quae satisfactionem et Divini honoris reparationem exigunt. Sexto, multa magnaque Dei beneficia et immensus ejus in nos amor, quae grati animi vicem reposcunt. Septimo, Professio vitae Christianae et Ecclesiasticae, cui mores utraque digni respondere debent. Octavo, Vitae Sanctorum, rebus fortiter et toleratis et gestis intertextae. Nono, Labores a filiis saeculi tolerandi, ut bona caduca consequantur. Advertamus hic animum. Si horum stimulorum singuli

cuilibet difficultati perfringendae sufficiant, quam vim habebunt universim novem? Victas igitur manus demus, et ingenti fervore concepto, constanter perseveremus *corde magno et animo volenti.*

LECTIO.

Rom. cap. 8.
Thom. a Kemp. Lib. 1. cap. 25 et lib. 3. cap 59.
Rodriguez Part. 1 Tract. 1. cap. 8 et 17.

ORATIO

AD DOMINUM JESUM CHRISTUM.

ANIMA Christi sanctifica me.
Corpus Christi salva me.
Sanguis Christi inebria me.
Aqua lateris lava me.
Passio Christi conforta me.
O bone JESU exaudi me.
Intra vulnera tua absconde me.
Ne permittas me separari a Te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meae voca me,
Et jube me venire ad Te,
Ut cum Sanctis tuis laudem Te,
In saecula saeculorum. Amen.

ACTUS VIRTUTUM

Theologicarum, frequentissime repetendi.

ACTUS FIDEI THEOLOGICAE.

Credo, Deus meus, tota convictione intellectus, totaque latitudine affectus, omnia et singula quae Apostolorum Symbolo continentur, caeteraque omnia quae mihi Sancta, Romana, Catholica, et Apostolica Ecclesia credenda proponit: *Quia tu, qui suprema Veritas es, ea revelasti et dixisti.* Adjuva me Deus meus, nihil desit fidei meae, neque unquam in credendo deficiam.

Recita attente ac devote *Symbolum Apostolorum.*

ACTUS SPEI THEOLOGICÆ.

Spero Deus meus, toto cordis affectu, fore ut a Te obtineam salutem aeternam, et quidquid mihi necessarium est ad eam assequendam: *Quia Tu summa potentia, et infinita erga me bonitate promissisti.* Adjuva me, Deus, ne culpa mea tanto bono priver.

Recita attente ac devote. *Orationem Dominicam.*

ACTUS CHARITATIS THEOLOGICÆ.

Amo te, Deus meus, et cupio amare toto corde, tota anima, tota mente, atque omnibus viribus meis: decrevi obedire Tibi, et placere Tibi super omnia in omnibus: *Propter summam illam bo-*

nitatem tuam, qua dignus es ut ameris super omnia, et ut in omnibus obediatur tibi. Adjuva me Deus, ut non deficiam in amore, quem debeo infinitae bonitati et excellentiae tuae.

In memoriam revoca *Praecepta Decalogi Praecepta Ecclesiae*, et obligationes *Status* ac vocationis tuae.

ACTUS CONTRITIONIS PERFECTÆ.

Deus meus doleo ex toto corde de omnibus peccatis, quibus immensam Majestatem tuam offendi; detestor ea omnia et singula: *Quia displicent supremae bonitati tuae, quae super omnia sola digna est, ut ipsi propter se praestetur omnis amor, obedientia, atque subjectio:* Ideoque toto cordis affectu propono non peccare de caetero. Tu, Deus meus, adjuva infirmitatem meam, ut deinceps non displiceam tibi peccatis meis.

Attente ac devote recitabis *Confiteor.*

ACTUS OBLATIONIS FREQUENTER ITERANDUS.

Suscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem meam omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es: id totum tibi restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Affectus Virtutum Theologicarum ex Avancino.

Fides. Credo, Domine, Credo. Tu adjuva incredulitatem meam' Suggerit alia mundus, caro, daemon: non credo. Verbum tuum manet in aeternum. Pro hoc exige a me Domine sanguinem, exige spiritum: ecce paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Mille gladiis, ignibus, rotis exhibebo hoc corpus, ut tua stet illaesa veritas.

2. Quis me separabit ab hac Veritate? Certus sum, quod nec gladii, nec cruces, nec tela, nec ignes, nec inferorum tormenta me poterunt ab ea separare. Tua veritas Deus fallere non potest, tua sapientia falli non valet. Tu dixisti: Satis hoc mihi est prae omni ratione humana, ut etiam sanguine subscribam.

Spes. Quare tristis es anima mea et quare conturbas me? Habes bonitatem Dei, et misericordiam paratam, quae vult; habes omnipotentiam assistentem, quae potest opitulari; habes sanguinem, et merita Christi, quae pro te apud aeternum Patrem perorant. Projice te ergo anima mea in brachia misericordiae, et omnipotiae Dei. Quam nihil potes ex te, tam omnia potes in eo, qui te confortat.

2. In te Domine speravi: et quis mundi impetus, quae carnis illecebra, quae daemonum astutia praevalebit? Non confundar in aeternum. In te Domine speravi: quod vitium non extirpabo? Quam virtutem tua gratia non assequar? Dicant omnia ossa mea: tu es Spes mea, Deus meus in aeternum!

3. Si Deus pro me; quis contra me? Si exsurgant adversum me castra, non timebit cor meum. Si consurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo; quia scit infinita sapientia, potest infinita omnipotentia, vult infinita bonitate mihi auxiliari.

Charitas. Domine tu scis, quia amo te: quoniam tu solus bonus, tu solus sanctus, tu solus dignus omnium creaturarum amore. Supplete vos, ardentia Cherubin, tu ardentior Cherubinis Virgo, quidquid deest amori meo: O vivam! O moriar amore tui! Moriar potius, quam te non amem!

2. Domine, quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram. Tu solus Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Diligam te Domine, non quia mihi beneficus, aut remunerator liberalismus, sed quia in te ipso es summa et infinita bonitas, sola, et una super omnia amabilis. Moriar Domine hoc momento, quo te amo, priusquam succedat aliud, quo te non amem!

3. Exigis a me cor meum Domine. O si mille, o si infinita haberem! omnia tui unius amore occuparem. Vis amorem operibus experici? Confunde me, contunde me, contere me, in infernum demerge me; non dimittam te.

4. Sero te amavi, pulchritudo mea tam nova, et tam antiqua! sero te amavi! Sed neque nunc te amo ut debeo, neque amo, ut amare vellem; eoque amore, si fieri posset, quo te ipsum amas; quia hic solus amor tuam amabilitatem aequat. etc.

APPROBATIO.

Hic Liber, cui titulus: *Catechismus de Tonsura et Obligationibus Status Ecclesiastici* etc. *Preces matitunae, vespertinae et alia* etc. *Exercitia Spiritualia etc. simul edita* jussu *Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis, imprimi potest.*

Datum Mechliniae, hac 20 Januarii 1780.

J. F. VAN DER MAEREN, *Lib. Censor.*

Duo Libelli, quorum priori titulus: *Catechismus de Tonsura et obligationibus Status Ecclesiastici etc. Preces matutinae, vespertinae etc. Exertia spiritualia octo dierum;* et posteriori: *Meditatisnes pro Exercitiis spiritualibus* etc. utiliter rursus typis mandari possunt.

Datum Mechliniae 18 Septembris 1822.

J. FORGEUR, *vic.-gen.*

INDEX MEDITATIONUM.

Quinto die

Sexto die.

Septimo die.

ctavo die.

Postridie Exercitiorum Meditatio unica.

Oratio.

Actus.

Affectus.

